Illustrissimis Potentissimisque

HOLLANDIÆ WESTFRISIÆQUE PROCERIBUS,

Atque

Eorundem Delegatis,

ANTONIUS THYSIUS

S. P. D.

QUanquam nobilissima hæc vestra Provincia, Potentissimi Proceres, il-

Digitized by Google

. Bellonæ area, il-
virtutis publica
alæſtra, eruditio-
is omnis ſedes, di-
itiarũ totius vel-
ti Europæ publi-
um horreum, nul-
am laudem admit-
at, quia omnem
xcedit: permitti-
e tamen, ut in am-
plexum Batavię ve-
ſtræ ruam, quæ
me fere infantem
ulnis

ulnis excepit, nutrivit, cujus telluris Genio, cœli atque ſiderum inſpirationi vitam ex parte debeo; permittite ut altare hoc benevolentiæ atque affectus noſtri vobis conſecrem, quo non profano ritu victimæ vel odorata, ſed hæc lingua, hujus

Digitized by Google

vocis ſibilus atque ſtrepitus offeratur. A primis initiis Reipublicæ veſtræ hiſtoriã contexere veluti exigua tabula aggreſſus sũ. Cujus ut antiqua libertas Romanis rerũ dominis terrori fuit, ita nunc tam parvâ primũ manu contra potentiſſimum hoſtem concumu-

latæ

latæ victoriæ toti fere terrarum orbi horrorem atq; veneratione incussêre. Adeo ut dubiũ sit, an majores vobis præluxerint, an vero vos majores viceritis. Etsi vero virtus vestra per se consistere possit, neque ullâ majorum luce indigeat, ad ulteriora tamen

quotidie abripitur, accenditur, ubi pulcherrimam illam proavorum imaginem intuetur. Sicuti enim vitra quædam, dum ſolis radiis exponuntur, facile ignem ſuſcitant, ita generoſi ſpiritus, cum virtutem aſpiciunt, eandem aliquo modo ſuis animis im-

pri-

primunt. Utique tamen ſi antiqua cum recentioribus conferantur, cuncta hodie ſuperiora quis animadvertet. Incumbebat olim toti fere Bataviæ noſtræ inculta quædam Barbaries, non quod illis ingenia deeſſent, ſed quod Marti ſuo devoti ad agendum ani-

Digitized by Google

animum appelle-
rent: nunc vero ra-
ra temporum feli-
citate Martis & Mu-
ſarum veluti publi-
cum hic colitur
contuberniũ. Pau-
cis admodũ Rebus-
publicis hoc con-
tigiſſe Antiquitas
oſtendit. Molliciem
quandam ex literis
ingeniorũ illa ma-
ter ſibi Athenienſis
ci-

civitas contraxerat. Unde eandem verbis contra Philippum certasse auctor est disertissimus historicus. Lacones horridi, & inculti, militiæ quidé idonei erant, sed iidem literarum præsidiis destituebantur. Vestra autem hæc Provincia utramque Palladem raro con-

jun-

junxit exemplo. Militiã quidem veſtram totus admodum terrarum orbis obſtupeſcit, imitatur: Ingenia vero ipſa illa ingeniorum mater Italia colit, ſuſpicit. Mirum illud dictu, in tanta belli aſperitate, inter tubarum atq; tympanorum ſonitum gloriam quo-

quoque eruditionis in hac Batavia in immenſum creviſſe, cum apud cæteras gentes, bella, horrida bella barbariem quandam & vaſtitiem inducere ſoleant. Quis porro poſterorum credet in hoc angulo terræ concuſſas fuiſſe totius fere Europæ vires, exhau-

junxit exemplo. Militiã quidem veſtram totus admodum terrarum orbis obſtupeſcit, imitatur: Ingenia vero ipſa illa ingeniorum mater Italia colit, ſuſpicit. Mirum illud dictu, in tanta belli aſperitate, inter tubarum atq; tympanorum ſonitum gloriam quo-

quoque eruditionis in hac Batavia in immenſum creviſſe, cum apud cæteras gentes, bella, horrida bella barbariem quandam & vaſtitiem inducere ſoleant. Quis porro poſterorum credet in hoc angulo terræ concuſſas fuiſſe totius fere Europæ vires, exhau-

hauſtum potentiſſimi Hiſpaniarum Regis ęrarium, contra in tanta opũ effuſione nunquam hic aridam auri argentique venam fuiſſe, neque Provinciam tantũ, ſed ſingulas quoq; urbes, quin & privatos homines, potentia & divitiis affluere, dum per totum

tum orbem velæ ſua dimittunt? Adeo quidem, ut illic, ubi homines inveniuntur, noſtræ naves anchoram fixerint, & Batavorum virtus non niſi cum utroque ſole tam Oriente quam Occidente nomen ſuum finiverit. Iacent Carthaginienſes, Phœnices, Rhodii,

dii, & rerum Domini Romani imperium ſuum maris, innumeræ rates per omne litus veſtram potentiam arguunt. In hâc fere Regione, liceat mihi ita loqui, totus veluti orbis emitur atque venditur. Eructat vobis Ganges fabuloſus amnis ſuas divitias,

vitias, toties contra hoſtem ferrũ ſtrinxit Occidens, Auſter & ſeptentrio opes ſuas in veſtra horrea detrudunt. Non ego hic miracula hujus Provinciæ pluribus efferam, quæ & Galli & Itali ſuis celebrarunt laudibus. Infinitæ hic reperiuntur artes, quas

nullibi fere terrarum, Guicciardino auctore, invenias. Quis rotas cum aquis ſuis quotidie luctantes, integros lacus ſiccatos non obſtupeſcat? Quis palos, ædificiis ſuſtinendis, tremulæ telluri infixos, & flexis ſudibus compreſſos indignantes

Digitized by Google

tes aquarum vortices non admiretur? Cuncta hæc magis exteri ſuſpiciunt, quam indigenæ, quorum Genius ita comparatus eſt, ut externa magis, quam ſua agnoſcant bona, & rebus ſuis intenti aliorum laudes negligant. Hanc fœlicitatem noſtrã

toties difficillimis temporibus oſtendit, rogo & veneror, ut propria nobis & perpetua hæc faciat bona, quæ quotidie coram intuemur, conſilia veſtra POTENTISSIMI PROCERES, in commune bonum dirigat, Concordiam alat, & omnia inteſtina diſſi-

dissidia propitiè avertat. Dat. Lugduni Batavor. Anno CIↃ IↃ C LI. mense Octobri.

Vestr. Illustriss. Potent.

Devotissimus cliens

ANTONIUS THYSIUS.

In Compendium

HISTORIÆ BATAVICÆ,

à Clarissimo, Consultissimoque viro & Professore,

D. ANTONIO THYSIO,

Pereleganter concinnatum, epigramma.

Ἀ Ὑτονόμων δεδαὼς γενεὴν
ἐ θεσμὰ Βαταυῶν,
Γῆς ὑπὲρ ἠδ' ἱερῶν ἶφι μαχεσαμένων,
Παυριδίαις σελίδεσσι χάραξεν
Θύσιος ἔμφρων,
Θύσιος ἀρχαίης ἕρμα
μέγ' εὐεπίης.

Ὡς

Ὥς ποτε Ῥωμαίων Κορνήλιος
ἐν τρισὶ δέλτοις
Ἀγλαΐην πᾶσαν δρέψατ' ἐπισταμένως.
Αὐσονίων τί δ' ὄνειαρ ἰδ' ἔργματα καλὰ Πελασγῶν
Ἴδμεναι οἰκείων οὔτι διδασκόμενον.
Ἀγνοέειν σφέτερ' αἶσχος ἔχει· τὸ δ' ἐφέσθιον εὖχος,
Εἰ Βαταβὸς, λέξει Θύσιος ἱστορέων.
Πᾶν δὴ περιφραδέως ὦ Ζεῦ· πολλῶν δέ τε βίβλων
Καὶ μεγάλων προφέρει τοῦτο τὸ βιβλίδιον.
Χαῖρε διοτρεφέων πατέρων θάλος· ἦ σύγε πάτρῃ
Δοὺς κλέος ἐξ αὐτῆς καὶ κλέος εὐρὺ λάβῃς.

LAMBERTUS BARLÆUS.

Digitized by Google

Ad eundem,

Cum universam à

JULIO CÆSARE

ad hæc usque tempora

HISTORIAM BATAVIÆ

Compendiosè ederet.

HOrrendam rerum faciem densata tenebris
Terra parit, cum solis equi se gurgite vasto
Occidui maris abscondunt, raucumque relinquunt
Stridorem, ac tetræ post se vestigia noctis;
Horresçit magis, obscura caligine virtus
Dùm tegitur, turpisque hominum vecordia cresçit.

Nec

Nec radios mens cæca capit. Quî prima reſurgant
Secula, Cimmeriumque Chaos, ſi lumina cœlo
Thyſi addis, claroque illuſtras ſidere mundum,
Et Batavam longâ depingis origine gentem
Æthereum genus, atque alto de ſanguine divûm?
Dum Batavos fulgere facis, tua gloria fulget,
Et Tu cum Batavo æternos partiris honores,
Et mixta fulgeſcis ope. Tu digna profaris
Eloquia. Hic tantis miracula ſuggerit auſis,
Et facit æternis inſcribi nomina faſtis.

Ma-

Magnificum moliris opus, gentemque deorum
Extollis, genitura Dei. Tu gente Batava
Prognatus, toto Batavum te pectore prodis,
Et facis exstinctos serò superesse Batavos,
Nascendosque suâ nunc inclarescere luce.
Non juvat immensos iterum sarcire labores,
Protrahere, ac rerum longis ambagibus uti,
Cunctaque sollicitis depingere secula verbis,
Hæc facilis tibi cura foret. Iam docta Nepotis
Fata probas: tribus omne ævum describere chartis

Au-

Auſus, & in Batavas ſic primus ſurgere laudes.
Egregius labor, ac magno Iove dignus: Iaſpis
Exigua adſpectu, eximia virtute probatur,
Et latè immenſum ſuperat diſcrimine ſaxum.
Deſino laudatum verbis extollere librum,
Deſino promeritas auctoris dicere laudes.
Hoc ago, cum celebres ordiris pandere Belgas,
Audeo perpetuam merito promittere famam.

FR. PLANTE.

Iu-

Digitized by Google

Iulius Cæsar de Bello Gallico lib. IV.

MOsa profluit ex monte Vogeso, qui est in finibus Lingorum, & parte quadam Rheni recepta, quæ appellatur Walis, insulam efficit Batavorum. Neque longius ab eo millibus passuum LXXX in Oceanum transit.

Plinius lib. IV. *cap.* XV.

In Rheno ipso prope centum millia passuum in longitudinem, nobilissima Batavorum insula & Caninefatum, & aliæ Frisiorum,

rum, Cauchorum, Friſiabonum, Sturiorum, Marſatiorum, quæ ſternuntur inter Helium ac Flevum. Ita appellantur oſtia, in quæ effuſus Rhenus ab ſeptemtrione in lacus, ab occidente in amnem Moſam ſe ſpargit. &c.

Tacitus Hiſtor. lib. IV.

Batavi donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, ſeditione domeſticâ pulſi, extrema Galliæ ora vacua cultoribus, ſimulque inſulam inter vada ſitam occupavere. Quam mare Oceanum à fronte,

Rhenus amnis tergum ac latera circumluit. Nec opibus Romanis ſocietate validiorum attriti, viros tantum armaque imperio miniſtrant: diu Germanicis bellis exerciti: mox auctâ per Britanniam gloriâ, tranſmiſſis illuc cohortibus, quas vetere inſtituto nobiliſſimi popularium regebant.

Idem de moribus Germanorum.

Omnium harum gentium virtute præcipui Batavi non multum ex ripâ, ſed inſulam Rheni amnis co-

colunt, Cattorum quondam populus, & seditione domesticâ in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent. Manet honos & antiquæ societatis insigne; nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit, exempti oneribus & collationibus, & tantum in usum præliorum sepositi, velut tela atque arma bellis reservantur.

Ammianus Marcellinus lib. XVI.

Quo cognito opitulatum conturmalibus suis

celeri cursu Batavi venere cum Regibus, formidabilis manus, extremæ necessitatis articulo circumventos, si juvisset Fors, ereptura, torvumque canentibus classicis, adultis viribus certabatur. *Vide eundem libro* XXVII.

In-

Inscriptio antiqua.

FORTUNÆ. AUG. SAC.
PRO SALUTE. ITV.
AC REDITV. DD.
NN.
M. AUR. ANTONINI.
PII. AUG. ET. P. SE-
PTIMII. GETÆ.
NOBILISS. CÆS.
CIV. BATAVI.
FRATRES. ET. AMICI
P. R. V. S. L. M.

Digitized by Google

Aloysius Marlianus Neapolitanus, in Epistolâ ad Buslidianum.

NItidi idcirco mundique & elegantes sunt Belgæ, si omnibus conferas, præterquam Batavis. Ego enim eam insulam satis admirari non possum; sive rerum novitate, sive pulcritudine, sive omnium rerum felicitate. Quid enim novum magis, quam videre Oceanum cum terris luctantem? terrasque solo paleæ intextæ & nodatæ scuto contra Oceanum tutas & victrices? Quid ventos, dum rotas agunt, flatu suo cum aquis

quo-

quotidie pugnantes, & quo velint aquas derivatas? Quid denique admirabilius videri poteſt, quam uno gelu totam concretam hyeme inſulam cernere? ultroque citroque huc illuc virorum, fœminarum, puerorumque examina ferreis neſcio quibuſdam pedibus tam rapide ferri, ut multos Icaros volantes putes & Dædalos? Redeunte autem anno, & apparente vere, quid eſt ea *inſula* formoſius, quid *viridius*, quid herboſius, quid denique floridius? Spirant undique opobalſama venti; prata habent

pascua, nemora, campos: tenent armenta prata; pascua nemora, feræ sylvas; lætæ & luxuriantes segetes campos. Complet autem cœlum undique omnigenûm avium concentus. Scatet enim omnium aviũ genere, quas aut tellus pariat, aut aqua nutriat. Hæc felix insula, cum ad civitates perventum est (libet civitates, non oppida appellare) offert se oculis tanta elegantia, ut sit non minus difficile, quo male divertas quærere, quam facile fortuitum & optimum hospitium invenire. Immundi quicquam importa-

ri vetat janitor, aſperſo ſabulo veſtibulo. Intus omnia ſunt ſumme elegantia. Muri tabulati ex ligno, quod ſponte fluctuantis maris undas æmulatur, veſtiuntur. Supellex ingens, argenti, æris, metalli, tapetis & picti eſt plurimum. Lineæ telæ nives candore vincentes pluſquam dici poteſt. Vis dicam uno verbo elegantiam omnium? Expuendi locus non datur. Unde ſæpe mecum cum in ea inſula eſſem egi, natam ibi eam anilem fabulam: Cum duo amici cœnarent loco tam picto, ut nefas videretur ſputo a-

liquam particulam obtinere, in malefactam ſocii faciem, natura forte ſomniante dum eam faceret, expuiſſe. Unde commoto altero, Parce inquit, reſpondiſſe; Amice, nihil facie tua turpius hoc in loco obvium oculis meis fuit. Eſt præterea nihil uſquam quo humana vita carere non debeat præſtantius quam ibi. Mirum eſt, quicquid beata hæc inſula parit tam pulchrum eſt, ut matre Venere editum putetur. Dii boni, quales homines, quales fœminas, quos equos, quæ cetera armenta, quæ pecora parit! ultra ve-

ro

ro mirari hanc ſoli felicitatem, accedit quod cumulatiorem fortuna faciat copia roſtratarum navium tanta, ut pene Germanici, Britannici, & Gallici Oceani domina dicatur. quibus ad aſſidua quæ cum omnibus gentibus exercet commercia utitur. Inſuper tanta eſt lanificii cura, ut ambigere quiſquam poſſit, dicatam ne putet Minervæ hanc inſulam, an Veneri? Lineæ autem precioſæ telæ Ochemeniis telis prælatæ ſummum eſt pretium. Et ne terrarum benignitati & ſummæ arti mare cedere videatur, tam piſcoſum & bea-

beatum est, ut piscando Batavi plus argenti & auri venentur, quam extremis laboribus alii effodiant. Ad summum delectantis est opus naturę, & ut poëtæ ferunt, Dædalea est hæc insignis Batavorum insula. quæ si ea forma priscis temporibus fuisset, amplam fabulæ materiam dedisset. Hanc profecto posthabita Cypro, Gnido, Papho, Cytherea Venus incoluisset. Sed quorsum feror? quid insanio? Noctuam Athenis ostendo, dum tibi Galliam Belgicam & Batavorum insulam pingo. Verum non insanio, non casu

sed

ſed conſilio ad hæc litora delatus ſum. Accuratius hæc percurri, ne poſthac ironica nominis tui figura in nos feraris, dum veſtris plus æquo detrahis, & Italis noſtris eadem figura plus æquo tribuis. Niſi ſemper velis nos irridere, & *in Italicum* fletum irrumpere. Nobiſque exprobras quod Troës fuimus. Fuimus equidem Troës; nec eſt quicquam quod forte nos futuros prohibeat.

Co-

Comitum ſeries.

Didericus I. pag. 15
Didericus II. 18
Arnolphus. 21
Didericus III. 23
Didericus IV. 26
Florentius I. 29
Gertrudis & Robertus Friſius tanquam tutores. 35
Godefridus Gibber. 38
Didericus V. 44
Florentius II. *cognomento Pinguis.* 47
Didericus VI. 50
Florentius III. 66
Theodericus VII. 74

Ada.

Digitized by Google

Ada. 82
Gulielmus I. 84
Florentius IV. 87
Gulielmus II. 92
Florentius V. 104
Ioannes I. 125
Ioannes II. *Hannonius.* 143.
Gulielmus III. *cognomento Bonus.* 166
Gulielmus IV. 178
Margarita. 182
Gulielmus V. *Bavarus.* 190.
Albertus I. 193
Gulielmus VI. 197
Iacoba. 200
Philippus Bonus Burgun-

Digitized by Google

gundus. 210
Carolus Bellicosus. 216
Maria. 226
Maximilianus Austrius tutor Philippi II. 228.
Philippus II. 231
Carolus V. 232
Philippus III. 246

COM-

Digitized by Google

COMPENDIUM HISTORIÆ BATAVICÆ A JULIO CÆSARE

Vsque ad hæc tempora.

BAtavos Cattorum progeniem esse, qui nunc Hessi creduntur, cōstans inter eruditos opinio est. Civilis discordia propriis finibus eos expulit, & in feliciorem locum reposuit. Patria illorum horrida & mōtibus suis inclusa: Batavia autem plano fere loco posita, & brachiis Rheni cin-

cta, uber aliquod fertilitatis promittebat. Quinam populi antea hanc insulam incoluerint, incertum est. Vel quia totum hoc vetustate obliteratum est, vel quia incolis vacua fuit. Julium Cæsarem antiquissimum hujus insulæ atque gentis prœconem habemus, quinquaginta & duobus annis ante partam salutem. Gens libertatis tenacissima, regium nomen non tamen absolutum approbavit. Videbat interesse Reip. ut unus præ cæteris auctoritate excellens diffluentem veluti colligeret multitudinem. Illi suadendi potius

quam

quam jubendi fuit poteſtas. Penes Optimates atque delectos ex plebe ſupremum fuit imperium. Meruit Batavorum virtus, ut ſocii & fratres Romanorum appellarentur. Hi ſunt illi Batavi, quorum victoriis magnus ille Dictator Julius Cæſar cœlo & ſideribus famam terminavit. Viciſtis ideo Romani, quia Batavi vincere potuerunt. Viciſtis Romani, ſed quia dextris Batavorum viciſtis, etiam victi quodammodo eſtis. Nunquam victa fuiſſet à Cæſare Gallia, niſi noſtra manus adfuiſſet. Hujus impetum ad Noviodunum

Gallus non ſuſtinuit. Quis Heduos & Arvernos fortiſſimos populos protrivit, conculcavit? Batavus fuit. Quis ad Aleſiam bis prælio ſuperior fuit? Batavus. Quis Pharſalicæ victoriæ auctor, quis Ptolemæum & Alexandrinos fuga diſſipavit? Batavus fuit. Ita ut horror tanti nominis ubique pro victoria eſſet. Neque minor illorum virtus ſub Tiberii, Claudii, & Neronis principatu. Unde centum & viginti annis uſque ad Veſpaſianum Imperatorem illibatus eorum honos ſtetit. Sed cum inde injuriis Romanorum generoſi ſpiritus

ad

ad vindictam accēderentur, libertas conculcaretur, pudicitia proſtitueretur, bellum grave exarſit. Quam flammam Civilis, veterum injuriarum memor, identidem fovebat. Neque invictum Principis populi nomen, qui toti fere orbi compedes injecerat, ferociſſimis populis jugum impoſuerat, ab inſtituto eos deterruit. Libertas omni vita, omni victoria potior. Quamvis ne hic quidem præclaris victoriis gentem bellicoſam deſtitutam fuiſſe Tacitus auctor eſt. Et pax ſecuta nihil minus quā devictos oſtendit. Poſt ea

tempora Francorum nomẽ & Romanis & Batavis horrorem incuſſit. Maris enim ſeptentrionalis accolæ infeſtam ſui pelagi rabiem imitabantur, & difficile ſuis arctati limitibus modo maria pyratica depopulabantur, modo terreſtri prælio Bataviam atque extrema Galliæ vexabant. Eos ſub Conſtantio, victoriis continuis elatos, felici prælio ad Argentoratum Iulianus oppreſſit. Exhauſti continua belli ſtrage Batavi Salios & Quados nominis ſui atque inſulæ participes fecerunt. Quid poſt ea tempora longo ſæculorum interr-

tervallo uſque ad Comitum imperium geſtum ſit. Hiſtoriæ ſilent: niſi quod Barbaræ gentes Wilti, Slavi, Normanni, rapinis, incendiis, hanc regionem infeſtam habuerint. Quæ tum non amplius Batavia, ſed Friſia dici cœpit. Contra Normannorum violentiam varia extructa munimenta, inter quæ etiam arx Leidenſis locum habere videtur, cum Lugdunum, antiquiſſimum oppidum ſive vicus, ferociæ eorundē impar eſſet. Et opportunus is locus ſtationi Barbarorum videbatur, qui maria infeſtabant, cum Rhenus

pleno alveo brachium ſuũ in mare Oceanum flecteret. Qui curſum ſuum collibus arenaceis objectis ſæviente procella anno DCCCLX. Cattovici ſtitit. Normannorum dein continuæ victoriæ non tantum antiquam Batavorum virtutem offuſcarunt, verum etiam ipſum fere nomen deleverunt. Victores, inſulæ ſuæ, quæ Hollandia dicitur, & ſub frigido cœlo cum horrore aëris colluctatur, nomen regioni impoſuerunt. O rerum viciſſitudinem! ô occulta fatorum decreta! Cujus gentis nomen indelebile videbatur, Barbaries fere

fere extinxit. Cujus virtus Romanis rerum dominis terrori fuit, imperium illius tulit, cujus ne vellet quidem esse domina. Fatalis illa & continua Hollandorum clades fuit. Sub imperio Caroli Magni anno DCCCX Danorum Rex Godefridus classe ducentarum navium Frisiam populatus, incendiis, cædibus, cuncta misere violavit. Quare ab Imperatore Flandris indictum, ut classem potentissimam contra Normannorum violentiam quã celerrimè expedirent. Et jam in summo periculo res nostræ versabantur, nisi

violenta mors Godefridum è medio ſuſtuliſſet, atque is, qui cervicibus noſtris imminebat, & ſanguine omnia commaculaverat, à vaſallo ſuo confoſſus fuiſſet. Ita tempeſtatē ſecuta ſunt pacis Alcyonia. Hemmingus enim Godefridi filius cum pacem peteret, facile accepit. Neque vero ignis ille bene ſepultus eſt, ſed in majorem flammam exarſit. Sicuti enim ſub Carolo Magno, ita ſub Ludovico novum belli incendium. Batavodurum ampliſſimū, ut creditur, oppidum, cūjus nunc opes intra limites mediocritatis conſiſtunt, aliquoties

quoties dirutum, & flammis conſumptum. Valachria capta, Comes Eggihardus cum multis nobilibus occiſus. Neque ſub Lothario Imperatore minor ſtrages. Acceperat Rodericus à Ludovico Feudum Batavoduri. Sed perduellionis accuſatus à Lothario, qui patri in imperio ſucceſſerat, in carcerem conjectus eſt. Ex quo liberatus Normannos & Saxones incitavit. Feudum idem recepit, ipſo Imperatore connivente, eâ conditione, ut Normannorum ferociam contunderet, Cæſarique omnem ope-

operam addiceret. Et ſecuta quies depoſito armorum furore, quantũ Rodericus inter ſuos auctoritate polleret, oſtendit: ſed veluti quieto mari nonnumquam ſuſurrus levis auditur, qui in procellam erumpit, ita & hæc quies paulatim iterum in antiquam rabiem deſiit. Anno enim DCCCLVI capto Batavoduro Ultrajectum, Epiſcopali ſede inclytum oppidum, illorum violentiæ ceſſit, atque in ſanguine civium ſuorum natavit. Neque ætas, neque ſexus, nec reverentia religioſi ordinis veniam impetravit. Ita ut huma-

humano ſanguine ſitim plus quam barbaram extinguerent. Solus Hungerus Epiſcopus, cum aliquot Canonicis vix evaſit, & ad Lotharium aufugit. Quibus Imperator, ut à Gentilium furore liberi eſſent, monaſterium prope Ruremondam conceſſit. Eodem tempore arx immenſæ molis, ut hodieque ex ruderibus prope Vorburgum apparet, & Aurelianum auctorem habere creditur, à Normannis ſolo æquata. Neque calamitatum modus. Rhenolandiæ omnes fere arces dirutæ, flammis conſumptæ. Comitatui Kin-

Kinhemienſi una cum Egmondana Eccleſia & Nordovicibus vaſtities illata. Incendiis Sacrum ſolum rubebat, agri ſub crepitantibus flammis gemebant, Sacerdotes pro victimis ante aras jugulati. Quo tempore ignium calamitati acceſſit, niſi vacillet annalium fides, aquarum vaſtum diluvium. Oceanus enim Rheni aquas gravi tempeſtate retorſit, ventorum turbine & aquarum violentia homines, armēta ſubmerſit, ſylvas proſtravit, lacus aperuit, dum Caurus litoris noſtri tyrannus vim ſuam exerit. Iterata dein

vice

vice Normanni incendiis, cruore, luctu omnia miſcent, Noviomagum occupant, præſulem Emmonem trucidant. Sanctus quoque Hiero, quem Hungerus Nordovici Epiſcopum conſtituerat, martyrii corona cinctus eſt. Dum ita rapinis, incendiis, cædibus, Hollandia miſere vaſtabatur, Carolus Simplex (quãvis alii Calvum velint) anno DCCCCXIII Diderico Gerolfi Friſiæ Comitis filio & *hæredi* ex petitione Comitis *H*aganonis Fanum Egmondæ, & Suithardershagam, uſque ad Fortrappam & Kinnemum, Ludovicus

vicus autem Rex, rogante Hemma cõjuge ejus, Wasdam donavit. Quæ loca, præter Egmundam,& Kinnemum, quo Kermerlandia denotatur, temporum injuria ignoramus. Illud constat, limites Hollandiæ multo arctiores fuisse, quã posterioribus temporibus. Crescente enim Comitum potentia, etiam limes crevit. Didericum primum Comitem morum modestia, singularis in Deum pietas atque fortitudo, condecorabant. Contudit Normannorum nimiam ferociam, & ab incursionibus Hollandiam liberavit. Unde

de ejus merita ad ſublime eum evexerunt conjugium. Genam enim, quę filia creditur Pipini Italiæ regis, uxorem duxit. Primus Monaſterium Sancto Albrechto Egmondæ conſecravit, & ſacras virgines ordinis Divi Benedicti eo dotavit. Ita gloria, fortitudo, pietas ſe mutuo exoſculabantur. Rarum profecto Principis monile, & magis decorum quam ulla gemmarum catena. Merebatur Hollandia tale auſpicium, quod æternitatem quandam Reipublicæ portendebat. Quo tempore & ubi Didericus obierit, non eſt certa anna-

lium fides: quamvis, in monaſterio Egmondano cum uxore terræ commiſſum, conſtans opinio eſt. Secutus in imperio Theodoricus ſecundus, filius, Friſios, qui obedientiam legitimo Domino recuſabant, ſub jugum miſit, atque eo genere contumeliæ proſecutus eſt, ut propter januarũ humilitatem corpus flectere deberent. Ultimam prope Rhenoburgum contra Friſios conſecutus victoriam, gratitudinis trophæũ, pulcherrimum templum Sancto Laurentio conſecravit. Quod ſacris virginibus poſtea devovit Petronella,

nella, Florentii Pinguis, Hollandiæ Comitis, uxor. Monaſterium quoque Egmondanum, à Friſiis dirutum, ex ligneo lapideum maximis impenſis conſtruxit, & monachos Divi Benedicti ibidem conſtituit, atque in Abbatiam mutavit: religioſas autem virgines, quarum antea fuerat monaſterium, Pennebroukam prope Harlemum traduxit. Hildegardim Ludovici Franciæ Regis filiam matrimonio ſibi aſcivit. Ex qua Egbertus, Treverenſis Archiepiſcopus, ſapientia & eruditione conſpicuus, Arnolfus, qui patrem

imperio ſecutus eſt, atque Erlinda, pulchritudinis eximiæ fœmina, nati ſunt. Circa hæc tempora Otho tertius, Romanorum imperator, Hollandiam ex Feudo proprii juris feciſſe vulgo creditur. Sed liberrimam fuiſſe olim Hollandiæ donationē, nunquam eam fiduciario jure poſſeſſam publica evincunt monumēta.

988 Anno autem DCCCCLXXXVIII Theodoricum naturæ ceſſiſſe, atque Egmondæ poſtea ſepultum annales teſtantur. Quamdiu imperio præfuerit, incertum eſt. Neque enim fabulis calculum adjicimus, quando octua-

&tuaginta quinq; annos Comitat⁹ inſignia tenuiſſe impudenter Hiſtorici aſſerunt. Secut⁹ in imperio Arnolfus an DCCCCLXXXVIII ſplendido matrimonio familiam ſuam condecoravit. Luitgardin enim, Romani II Imperatoris Conſtantinopolitani filiam, Theophaniæ Othonis ſecundi Romanorum Imperatoris conjugis ſororem, nuptiali vinculo ſibi copulavit. Diutinum illi & difficile cum Friſiis occidentalibus bellum. Felici primo prœlio victi ſubjugatique. Collecto dein ſpiritu, graviſſimo prœlio prope Friſiæ pagum Wincelam

victores evadunt. Quæ clades eo triſtior, quod Comes, primique Nobilium, cruenta morte eam funeſtiorem fecerint. Principis corpus majorum tumulo Egmondæ ſummo cum omnium luctu illatum. In Divorum numerum relatum fidem nobis faciunt funebres Abbatiæ Egmundēſis commentarii. Liberos ex Luitgardi Theodericum, qui patrem in imperio ſecutus eſt, & Ziphridum Kennemerlandiæ præfectum, qui & Sicco appellatur, ſuſcepit. A quo nobiliſſima & antiquiſſima Brederodiorum familia originem habuit.

buit. Quicquid de ejus homicidio & conjugio cum Gosvini Stavereni filia vulgo dicitur, fabulosum videtur. Inæquale matrimoniũ iniisse, vetus Epitaphium, quod olim in tẽploEgmondensi legebatur, ostendit. Post mortem Comitis an. MCCCCXCII Theodericus tertius filius, admodum adhuc adolescẽs imperio potitur. Frisii more solito,& naturæ ductu, contumaces extiterunt. Quam injuriam pro tempore Comes concoxit. Ex Othilde Saxonis filia Theodericum & Florentium genuit. Primum illi bellum cum Adelboldo

Præſule Ultrajectino fuit. Rebelles ille Friſios inſtigaverat, & per Theodorum Bavonem, cui Feudum Bodengraviæ & Swamerdami conceſſerat, quotidie Hollandos laceſſebat. Neque belli conditionem Comes abnuit. Non dirus cometes, qui vaſtæ trabis inſtar in æthere feralem crinem oſtentabat, neque alia portenta ardorem belli minuerunt. Secuta dein duo prælia victorias etſi cruentas concumularunt. Ipſe præſul captivitate injuriarum pœnas pependit. Qui fortuna major non victi ſed victoris animum gerebat,

rebat. Cum enim Comes tales illi leges præſcriberet, ut in perpetuum Batavorum imperium ex animo deponeret, atque tabulis illud publicis teſtaretur, abnuit conditionē ambitioſus præſul, atque carceri in arce Iſelmondæ per triennium traditur. Quam occaſionem ad ſubjugandos Friſios Comes arripuit. Quos an in totum ſuperaverit, vacillat Annalium fides. Illud conſtat priori prælio Batavos conſternatos fuiſſe atque in fœdam fugam redactos, multos cæco pavore in fata incidiſſe dum fata metuerent. Quippe ipſum

cœlum, ut consentiunt historici, horrenda voce fugam illis veluti præcepisse creditum. Finito bello usitata religione an superstitione Hierosolyma petiit, & sepulchrum Servatoris nostri invisit. Cui voto cum satisfeciſſet, etiam naturæ mox extrema persolvit. Corpus ejus majorum tumulo Egmondæ conditum. Secutus in imperio anno
1039 MXXXIX filius Theodericus quartus. Quem cum Henrico III Cæsare bellum gessisse Contractus refert, etsi alto silentio illud involvunt nostrates Historici. Rhenoburgum & Flardinga vetu-

vetuſta oppida vi occupata. Sed inclinante anno, maturo & aquoſo impeditus autumno Imperator cedere coactus, magnam à noſtris cladem pertulit, dum in proprio nobis elemento extremi quique à ſequentibus ſcaphis cæderentur. Comitem poſtea noſtrum inconſiderata cædes perdidit. Leodium ad ludos equeſtres vocatus, maxima Principum frequentia, imprudens Colonienſis & Leodienſis Præſulis fratrem occidit. Fugitivum Comitem inſecuti Principes ex prima nobilitate duos interfecere. Quam inju-

injuriam cum difficillime concoqueret Princeps, Colonienſes & Leodienſes naves Dordrechti, quarum magna ſemper ibidem fuit frequentia, igne vaſtavit. mercatores captivitate & tributis multavit. Exarſere hinc adverſariorum animi, & ſecundo amne vecti Durdrechto per inſidias potiuntur. Commotus ea re Comes, intempeſtâ tamen nocte, conſilio Gerardi Putteni equitis urbem ingreditur. Ibi demum accenſum prœlium dubium & grave. Sed hoſtibus fortuna defecit, & vix effugium patuit. Increbreſcente aurora Comes

mes prœlio fatigatus, dum ſpiritus colligit, ab illis qui ex hoſtibus ſe in civium ædes receperant, femore venenata ſagitta vulneratus, intra biduum mortuus, & veluti triumphali curru in cœlũ abreptus eſt. Corpus sũmo omniũ luctuEgmondam perlatum, & tumulo conditũ. Fratris imperium ſuſcepit an. MXLVIII Florentius ejus nominis primus, qui ex Hermanni Saxonis filiâ Gertrudi numeroſam prolem procreavit. Ex his Theodoricus imperii hæres, Albertus, Florentius, Petrus Canonici Leodienſes. Machtildin filiam Philippo 1048

lippo trigeſimo nono Galliarum Regi nuptam Annales commemorant. Sed dubiæ illud atque incertæ fidei. Bertha enim Comitis Balduini filia uxor ejus legitima ab Hiſtoricis Galliæ commemoratur. Niſi quod à nonnullis ſcriptum invenio Machthildin, poſt ſuſceptos à rege liberos Lodovicum & Conſtantiam, repudiatam, Berthã pellicem antea poſtea uxorem regis poſtmodum iterum expulſam, atque in lecti iterum conſortium Machtildin receptam fuiſſe. Sicuti impudici amores extincto igne ut plurimum evaneſcunt,

neſcunt, pudicus thorus firmus ſtabiliſque perdurat. Illud conſtat, ſuperiorem Fortunam Principibus vicinis inviſam fuiſſe. Unde vires illorum conglobatæ, & novo fœdere munitę. Brandenburgico Flandrorum Comes Balduinus, Lambertus Grudiorum regulus, Godofredus Auſtraſius, Hermannus Cuickienſis, Colonienſis & Leodienſis Præſul, ſe conjunxere. Tanta potentia vi conculcari nequibat, dolo debuit. Nullus omnino dolus licitus niſi in hoſtem. Imo aliquando nequidem licitus, ubi fides adhibita. Illud totiùs

tius universi vinculum atque coagulum ne quidem hostilis ensis diffringere debet, nisi ubi idem vel gravius periculum imminet. Ferrum cervicibus nostris minabatur, hostem nos per cuniculos avertimus, & non pugnando vicimus. Eo in loco quo venturus hostis credebatur, foveæ excisæ, & vivo cespite, ne dolus appareret, tectæ. Locus is Durdrechto vicinus, quo flos hostici exercitus absorptus, sepultusque est. Viginti septem millia hominum limo atque lacunis suffocata. Qua calamitate dum impliciti, à tergo Comitis

mitis manus hoſtilibus copiis incubuit, & ſanguine quadraginta millium fraternis manibus litavit. Leodienſis Præſul, & Comes Hannonius inter occiſos reperti. Captivorum calculus ne quidem ſubduci potuit, inter quos Lambertus Lovanii Comes, & Wichardus tutor Geldriæ primi nominis. Qui immenſo ære libertatem redemerunt. Tantam hoſtium ſtragem quadriennii requies ſecuta. Poſt quæ tempora Colonienſem, Brandeburgicum, & Lotharingum vindictæ nova cupido agitavit. Sed neque melio-

rem exitum Fortuna conceſſit. Anceps diu pugna, ſed tandem turbatis cuneis dum hoſtes in fuga omne præſidium ponunt, ab inſequente Comite ad internecionem fere redacti ſunt. Sed Comitem mox ſecuritas & propria victoria perdidit. Dum enim pugnæ atque æſtus moleſtia fatigatus prope flumen Moſam cum ſuis apricatur, atque quieti ſe tradit, Alardus Lotharingi frater recenti turma feſſos atque laboribus fractos invadit, Comitem & bis mille & ſexcentos milites occidit. Acerrime Florentii cædes à Durdrech-

drechtanis vindicata. Ex omnibus enim, qui hujus ſtragis auctores, nemo evaſit, atque idem relatum hoſtimentũ Alardo, Cuickioque. Ita ut ne nũcius ſuperfuerit, qui indicare tantam cladem ſuis potuerit. Tantã tamen victoriam luctus ex Principis ſui morte offuſcavit. Quem tumulatum majorũ monumento legimus. Succeſſit filius Theodoricus an. MLXII, cujus tutelã Ger- 1062
trudis vidua per biennium adminiſtravit, & mox Robertus Friſius conjugali vinculo junctus. Is Balduini Comitis Flandriæ filius Friſii nomen accepit, vel à

devictis Friſiis, vel, ut Gulielmus Maimesburienſis tradidit, quod Friſiæ, cujus nomine etiam Hollandia antiquitus continebatur, tanquam tutor imperaret. Ex relictâ Comitis vidua plures illi geniti ſunt liberi Philippus, qui in veſtibulo ſuo ætatis obiit, Robertus Friſius junior, qui cum Godefrido Bullioneo terram ſanctam occupavit: tres itidem filiæ, quarum Alita Canuto Daniæ & Norvegię Regi nupta fuit, Gertrudis Alſatiæ Comiti, & Maria Veſtalis virgo, & mox Meſenenſis in Flandria Præſul. Pater Balduinus

nus ampliſſimam illi dotem, Aloſtanam nimirum ditionem, Walachriam, Suitbeverlandiã, & Nordbeverlandiam, Borſeliam, conceſſit. Acceptum quam maxime Hollandis hoc fuit conjugium, vel ideo, quod ſemina diſſidiorum inter illos & Flandros de Zelandię inſulis ita ſopirentur. Dum Robertus ſumma integritate & continentia Remp. adminiſtrat, Gulielmus Geldrus XXI Ultrajectinæ Eccleſiæ antiſtes dominandi libidine contra Hollandos exarſit. Nullus nimirum limes Principi ſtatui poteſt, quem Ambitio occæcavit,

Invidiæ livor tranſvorſum egit, Avaritia præcipitem tulit. Deerat juſtus bellandi titulus, ſed color facile quæſitus inventuſque eſt. Henricus IV Imp. totam Hollandiam Præſuli conceſſit, & vana Pipini proavi Caroli Magni Acta confirmavit. Accerſitus in partes Godefridus Gibber, Lotharingiæ dux, qui deformitatem brevitatemque corporis ingenii magnitudine atque ſolertia compenſabat. Iamque ejus miles Albiniana caſtra prętergreſſus Leidæ pomæriis imminebat, atque noſtros ad prælium urgebat. Militis hoſtilis

lis multitudo & fati iniquitas Hollandos oppreſſit. Robertus in Flandriam cum uxore liberiſque aufugit. De cujus inteſtinis motibus Flandriæ inſpiciendi ſunt Annales. Ita Godefridus patrio Comitatu pupillum dejecit, & ab Eccleſia Trajectina Patrocinii titulum (Advocatiam Barbari appellant) accepit. Is dum in benevolentia & favore civium ſe nullum præſidium habere videt, in militum excubiis atque munimento arcis Iſelmundæ præcipue contra Flandros conſtituit. Bonam conſcientiam plerumque con-

dentia, malam timor ſequitur. Sed nimirum cœca eſſe mortalium pectora in periculo evitando, cruenta Godefridi cædes mox oſtendet. Dum ita res in vado poſitæ videntur, Dux animi plenus contra Weſtfriſios bellum molitur, agros populatur, incendiis fœdat. Verſo mox rerum cardine, qui modo ſe campis arduus inferebat, mœnibus Alcmariæ clauſus, novem hebdomadarũ obſidionem paſſus, & niſi auxilio Trajectenſis Præſulis liberatus fuiſſet, extrema jam expectabat. Victoriam hic cruentam adeptus (o-

&to enim Frisiorum millia cecidere) ulteriores quoque Frisios ferro, igne debellat, quos pene ad internecionem deleviſſe Sigebertus auctor eſt. Eo admodum tempore Delphorum pagus mœnibus & foſſis cinctus eſt. Cui poſtea Gulielmus II Comes Hollandiæ, Rex Romanorum, immunitates multas conceſſit. Godofredus vero arcem cervici urbis impoſuit, & cives in officio tenuit. Ex quo loco raro divertebat, *niſi* publica neceſſitas urgeret. Utique bellum *Henrici* IV Imp. contra Saxones eum evocavit:

quorum contumaciam cum fregiſſet, etiam arbiter pacis conſtitutus eſt. Ingenium ſagax, Martium Robur, vires eloquii, conſilii nervos, etiam hoſtis admiratus eſt. Et utinam violenti Hollandici Imperii macula virtutes cęteras non offuſcaſſet! Sed utique magnis virtutibus magna plerumque vitia conjuncta ſunt. Et facilius in omnibus aliis præterquam in ambitione limites ponunt Principes. Neque vero qui alios devicerat, vincere divinam vindictam potuit. Illa quidem tacito ſed certo vulnere penetrat. Exemplũ hic

hic luculentum Godefredi interitus. Dum enim ſecurus Antverpiam ſuam ingreditur, atque ventris onus ſolvit, ex inſidiis obſcænis partibus ab excubitore, inſtinctu, ut putatur, Roberti Friſii, letali vulnere percuſſus eſt. Trajectum deductus magno Præſulis luctu extinctus eſt. Neque diu Trajectenſis Epiſcopus ſupervixit. Qui dum dira fulmina contra Hildebrandum Pontificem publice evomit, atque Henrici IV Aug. cauſam immoderatius tuetur, in ſubitum languorem incidens, ſummo tum animi tum corporis

ris cruciatu deceſſit. In cujus locum Conradus Suevus Imperatoris favore ſucceſſit. Mortuo Godefrido & Trajectenſi Præſule Diericũ v primæ juventutis ſpiritus & cauſæ juſtitia ad repetendum armis patrium comitatum ſollicitabant. Accedebat quod auxilium è Flandris Robertus Friſius ſuggereret. Reſiſtebat Trajectenſis Præſul, ſed fruſtra. Prope enim Iſelmondam tanta Ultrajectinorum ſtrage pugnatum eſt, ut Merva fluvius rubicundus diu ſcuta cum viris in mare evolveret. Inter prȩcipuos Presbyter Wolmarus, Giſelbracus,

cus, Wereboldus, Gerlochus Zutphaniæ Comes (nondum enim Gelria Zutphaniæ juncta erat) & innumeri ex prima nobilitate perierunt. Cæteris arx Iſelmundæ receptui fuit. Sed neque illa continua arietum & baliſtarum irruptione diu tuta fuit. Nam poſt decimam & quintam ab obſidione diem in manus Comitis pervenit, atque ruinam meruit. Ipſe Conradus male quæſitum regimen ejuravit, & faſces legitimo Domino reſtituit. Novum imperium inchoanti utilis clementiæ fama fuit. Præſulem enim cæteroſque

roſque captivos nullo ære redemptos dimiſit. Victoria hæc nuptias cum Othildi Frederici Saxoniæ Ducis filia promovit, ex qua Florentium & Machtildin ſuſcepit. De expeditione Comitis contra rebelles Friſios multa hic futiles & novitii auctores fabulantur, quorum apud antiquos nulla mentio. Egbertum vero Miſniæ ac Turingiæ Marchionem Friſios excluſo Comite ad obſequium ſuum traduxiſſe, non ſunt incerti auctores qui aſſerant. Quem poſtea Henrici IV Aug. juſſu ex inſidiis occiſum conſtat. Iamque adeo

adeo pacis ocia tranquillitatem Reip. noſtræ promittebant, cum deplorata Comitis mors eidem mæroris horridam nubem adduxit, atque ſuperiores triumphos operuit. Eum annum CIↃXCII fuiſſe affirmant ii, qui accuratius temporum rationem ſubduxere. Hic idem primus ſe Hollandorum Comitē appellavit, ut ex antiquis diplomatibus apparet. Poſtquam juſta Principi perſoluta ſunt, Florentius II, cognomento Pinguis, paterno comitatu potitur. Cujus Principis laudes nullum dicendi genus admittunt, quia

quia omnem terminum excedunt. Pietatis erat ipsissima medulla, liberalitatis cornucopia, misericordiæ in egenos veluti publicum altare, pacis imago, deliciæ denique populi. Procul à moribus ejus omnis crudelitas, neque tam nocentes propter pœnam quam propter exemplum puniebat. Procul ab eo tributorum gravitas, qui unicuique sua tribuebat. Procul ab eo divitiarum immensa cupiditas, qui veris divitiis eminebat. Procul ab eo fisci augendi sitis, qui veluti fiscum in opibus populi habebat. Nullus sub hoc Principe

cipe litui vel tubæ uſus, ſed venerabilis togæ imago ſecuritatem ſingulis offerebat. Nulli inteſtini motus patriam dilacerarunt, nulla externa concuſſere bella. Apparatus quidem belli ſub auſpiciis Cæſaris contra Flandros, ſed mox pace ſopitus. Bellatum contra Friſios fuiſſe, nugatorum commentum eſt. Diſſidium illud ſuper venatione in Crilenſi ſaltu, qui Auſtrino lacu abſorptus: cum Galogeſio Galama Annales quidam Friſiæ commemorant, ſed dubiæ fidei ſunt. Felicitatem hujus ſæculi fœdiſſima lues anno CIↃ CIX, qua ar-

bores & ſegetes adurebantur, civibus urbes exhauriebantur, parum mutavit. Sed hæc toleranda, dum cętero omni tempore nullo turbine Reſp. agitabatur. Illud graviſſimum vulnus fuit, quod invida mors anno CIↃCXXII optimi Principis vitam abrupit, & in medio ætatis flore demeſſuit. Ex Petronella Theoderici Saxoniæ Ducis filia, & Lotharii Imp. ſorore uterina ſuſcepit Theodericum, qui patrem in imperio ſecutus eſt, Florentium Nigrum, Simonem, & Hedewigem, quæ nupſit Gerardo Othonis Naſſovii filio, Geldriæ

&

& Zutphaniæ Comiti. Petronella ſuper muliebre ingenium evecta, impuberis filii nomine magna cum laude imperavit, niſi quod, dum Ancelmo nimis credula eſt, Eccleſia Egmundenſis, ſub rapaciſſimis paſtoribus non modicam jacturam tulerit. Sed illud dedecus conſtructione celeberrimæ Abbatiæ Rhenoburgenſis delevit. Libera interea Reſp. erat & nulli obnoxia, ſed Imperator Henricus V armorum vi fiduciariam ſibi fecerat. Quod ægre tuliſſe Lotharium Saxoniæ ducem, Petronellæ fratrem, ex publi-

roſque captivos nullo ære redemptos dimiſit. Victoria hæc nuptias cum Othildi Frederici Saxoniæ Ducis filia promovit, ex qua Florentium & Machtildin ſuſcepit. De expeditione Comitis contra rebelles Friſios multa hic futiles & novitii auctores fabulantur, quorum apud antiquos nulla mentio. Egbertum vero Miſniæ ac Turingiæ Marchionem Friſios excluſo Comite ad obſequium ſuum traduxiſſe, non ſunt incerti auctores qui aſſerant. Quem poſtea Henrici IV Aug. juſſu ex inſidiis occiſum conſtat. Iamque adeo

adeo pacis ocia tranquillitatem Reip. noſtræ promittebant, cum deplorata Comitis mors eidem mæroris horridam nubem adduxit, atque ſuperiores triumphos operuit. Eum annum CIↃXCII fuiſſe affirmant ii, qui accuratius temporum rationem ſubduxere. Hic idem primus ſe Hollandorum Comitē appellavit, ut ex antiquis diplomatibus apparet. Poſtquam juſta Principi perſoluta ſunt, Florentius II, cognomento Pinguis, paterno comitatu potitur. Cujus Principis laudes nullum dicendi genus admittunt, quia

quia omnem terminum excedunt. Pietatis erat ipsissima medulla, liberalitatis cornucopia, misericordiæ in egenos veluti publicum altare, pacis imago, deliciæ denique populi. Procul à moribus ejus omnis crudelitas, neque tam nocentes propter pœnam quam propter exemplum puniebat. Procul ab eo tributorum gravitas, qui unicuique sua tribuebat. Procul ab eo divitiarum immensa cupiditas, qui veris divitiis eminebat. Procul ab eo fisci augendi sitis, qui veluti fiscum in opibus populi habebat. Nullus sub hoc Principe

cipe litui vel tubæ uſus, ſed venerabilis togæ imago ſecuritatem ſingulis offerebat. Nulli inteſtini motus patriam dilacerarunt, nulla externa concuſſere bella. Apparatus quidem belli ſub auſpiciis Cæſaris contra Flandros, ſed mox pace ſopitus. Bellatum contra Friſios fuiſſe, nugatorum commentum eſt. Diſſidium illud ſuper venatione in Crilenſi ſaltu, qui Auſtrino lacu abſorptus: cum Galogeſio Galama Annales quidam Friſiæ commemorant, ſed dubiæ fidei ſunt. Felicitatem hujus ſæculi fœdiſſima lues anno CIↃ CIX, qua ar-

bores & ſegetes adurebantur, civibus urbes exhauriebantur, parum mutavit. Sed hæc toleranda, dum cętero omni tempore nullo turbine Reſp. agitabatur. Illud graviſſimum vulnus fuit, quod invida mors anno CIↃCXXII optimi Principis vitam abrupit, & in medio ætatis flore demeſſuit. Ex Petronella Theoderici Saxoniæ Ducis filia, & Lotharii Imp. ſorore uterina ſuſcepit Theodericum, qui patrem in imperio ſecutus eſt, Florentium Nigrum, Simonem, & Hedewigem, quæ nupſit Gerardo Othonis Naſſovii filio, Geldriæ

& Zutphaniæ Comiti. Petronella ſuper muliebre ingenium evecta, impuberis filii nomine magna cum laude imperavit, niſi quod, dum Ancelmo nimis credula eſt, Eccleſia Egmundenſis, ſub rapaciſſimis paſtoribus non modicam jacturam tulerit. Sed illud dedecus conſtructione celeberrimæ Abbatiæ Rhenoburgenſis delevit. Libera interea Reſp. erat & nulli obnoxia, ſed Imperator Henricus V armorum vi fiduciariam ſibi fecerat. Quod ægre tuliſſe Lotharium Saxoniæ ducem, Petronellæ fratrem, ex publi-

cis Actis liquet. Dissipavit hoc dissidium opportuna Cæsaris mors, qui Trajecti ad Rhenum naturæ ultima persolvit. In cujus locum post octo mensium interregnum Lotharius, non sine gravi Conradi Sueviæ Ducis & fratris Conradi, qui itidem Coronam ambiebant, contentione, successit. Ex quo tempore iterum Hollandia respirabat, & sui juris facta, nullum Dominum agnoscebat. Affulgebat & nova spes potiundi Comitatus Flandrici Carolo Bono interempto. Nam & affinitas & Imperatoris favor, & Nobilitatis

litatis vota eò inclinabant. Sed Brugas profectus Didericus cum matre, per æmulorum malas artes repulsam tulit. Reversus ad nuptias animum adjecit, quas cum Sophia Comitis Patavini filia feliciter iniit. Accessit Imperatoris benignitas, qui Ostergoæ & Westergoæ in Frisia Orientali Comitatus, avo ereptos, legitimo Domino restituit. Exarsit dein vindictæ cupiditas in Hermannum Cuchensem. Eam incitaverat Florentii proavi ab avo alterius commissa juxta Hamertham vicum improvisa cædes. Præterie-

rant jam ſeptuaginta anni, cum rurſus ſanguis in pectore concaluit, atque in ultionem erupit ejus cædis, quæ diu ex animis hominū extirpata fuerat. Sępe id Principibus contingit, ut cum ſpiritu & ſanguine etiam vindictam veluti ex traduce ad poſteros tranſmittant, neque ullum tempus quantumvis diuturnum veteres injurias extinguat. Iamque arma crepabant, niſi cohibita fuiſſent auctoritate Andreæ Pontificis Trajectini. Conventum, ut manibus defuncti Monaſterium Mariæwerdenſe inter Rhenum

&

& Vahalim fluvios à Cuchenſi conſecraretur. Pace foris conſtituta, Friſii Occidentales arma arripuere. Qui bis cæſi à Comite perduellionis pœnas dedere. Jamque finitum bellum videbatur, niſi Florentius Niger Comitis frater, rerum novarum ſuſpectus, ſe Friſiis conjunxiſſet. Quem Nobilitatis quoque & Plebis ſatis apertus favor proſequebatur. Quinetiam Kenemarii vectigalium & tributorum impatientes, Friſiorum partes ſequebantur. Ita ut uſque ad Harlemi portas ſanguine & incendiis cuncta ruberent.

Ipsa Alemaria cum templo Vulcano cessit. Quis vero non cum dolore ruinas tot illustrium arcium atque ædium commemoret, quis ipsorum Comitum Prætoria igne vastata siccis oculis depingat? Quid non mortalia pectora cogit iracundiæ atque indignationis impetus? Quæ cum rationem extinxit, non solum in patriæ viscera, atque sacra majorum monumenta, sed in se ipsum quoque sævit. Sed illam, dum omnem modum excedit, placavit Lotharius Imp. & fraterna dissidia auctoritate sua sopivit. Florentius Niger virtutis

tutis inclytæ Princeps rebus ita compoſitis, Heilwinæ Rothenſis nuptias ſolicitat. Auguſta Florentii ſpecies etiam plus mereri videbatur, & unanimis Procerum conſenſus certum matrimoniū promittebat. Unde maturius æquo ſe in dotales ditiones immiſerat Florentius. Sed Cuchenſis veteris injuriæ memor, ſub cujus tutela Rothenſis erat, enixe manibus pedibuſque reſiſtebat. Ita ad arma ventum. Cuchenſis Comitatus in univerſum vaſtatus. Etiam Trajectino Epiſcopo Andreæ plurimum damni illatum. Præ-

ter pagos & vicos incenſos, Lecmunda non ignobile id temporis oppidum dirutum conſumptumque eſt. Ipſe antiſtes, quod ſe huic cauſæ immiſcuiſſet, in indignationem ſubditorum incidit. Florentius autem animo ſecurus, dum incautius aucupio intentus, mane Trajecto egreſſus, inſidiatorum manus non effugit, multiſque vulneribus confoſſus miſere periit. Quod facinus ubi ad aures Lotharii pervenit, ira correptus Cuchenſem Comitatus titulo privavit, vaſtitiē atque ſolitudinem ditioni ejus induxit. Neque à vindicta

dicta liberi Trajectenſis Præſul, & Arensbergę Comes, qui auxilium Cuchenſi ſuppeditaverant. Lotharii demum mors, manibus occiſi rite expiatis, Diderico placato, quietem iis dedit. Circa ea tempora Henricus Badewidus & Adolphus Holſatiæ Comes maximis inter ſe decertabant odiis, ita ut Slavorum arva inculta, poſſeſſoribus vacua, militum prædæ atque inſolentiæ relinquerentur. Pace conſtituta legati in Friſiam, Weſtfaliam, Hollandiam miſſi, ut novis coloniis illata damna reſarcirent. Confluxit eo non con-

contemnenda hominum multitudo, quibus agri ab Adolpho assignati. Hollandis nostris agri Utinensis possessio contigit. Post reditum Comitis ex Hierosolymitano & Romano itinere, Rhenoburgensi & Egmondano Cœnobio Pōtifici Innocentio concesso, nova subito belli accensa est rabies. Occasionem dedit Othonis Benthemii Comitis, affinis sui, qui Twentanos diu infestaverat, captivitas. Trajectum profectus Didericus, ubi affinis ejus detinebatur, omnia extrema Episcopo minatur. Iamque in armis nul-

nullum erat præſidium, cum ad diras execrationis ſe accinxit Præſul, & Pontificali ornatu Clero comitante Comiti obviam procedit. Quæ ſpecies tantum horroris & reverentiæ eidem incuſſit, ut nudis pedibus ad pedes Pontificis provolutus veniam admiſſi criminis deprecaretur. Tantum animos atque oculos mortalium tum temporis præſtringebat vana ſuperſtitio, & bruti fulminis horror. Ita pacem adeptus antiſtes Othonem libertati ſuæ reſtituit, qui poſtmodum Scalkenſi Comiti bellum temere inferre

ferre auſus victus demum poſt diuturna carceris tædia audaciæ pœnas capite perſolvit. Cui Othonem Diderici & Sophiæ filium ſecundum in Comitatu Benthemienſi ſucceſſiſſe annales teſtantur. Anno CIↃCXLIV Petronella laudatiſſima Princeps è vivis abiit, & cœnobio Rhenoburgenſi, ubi Florentius quoque Niger ſepultus, tumulata eſt. Poſt ea tempora Drechtani, quos hodie Enchuſanos appellamus, Kenemariam vexabant, pagos vicoſque, inter quos Zaenda, cujus nulla hodie extant veſtigia, igne conſumebant,

mebant, atque Harlemi portis imminebant, quos Harlemenſes Nobiles juncta Oxdorpienſium manu nongentis occiſis in fugam vertunt, & ad obedientiam cogunt. Bello hoc conſummato Flandricum cæpit. Orta enim controverſia de Zelandicis inſulis, dum *Theodoricus Flandriæ Comes in Syria* ageret, & Florentius III vectigalia Gervlietæ auxiſſet. Philippus Flandri filius, patris cauſam ſumma animi alacritate egit, & Waſiam, quę Hollandorum erat ditionis, occupavit. Hoc eodem anno, qui erat CIↃ C-

LVII Didericus ad communem locum abiit. Cui Oſtergoam & Weſtergoam Friſiæ regiones à Lothario II Imperatore, avunculo ſuo conceſſas, cum Pontifex Trajectinus per quadraginta annos poſſediſſet, antiqua teſtantur monument. Sophia Comitis uxor, pietatis & religionis verum ſpeculum, poſt mortem mariti devotioni ſe dedit, primo Compoſtellam ad ædem Divi Iacobi profecta, ubi vix latronum violentiæ ſe ſubduxit, dein ter Hieroſolyma olim Divinitatis ſanctiſſimam ſedem, petiit, quo in loco tertio

tertio itinere animam Deo Immortali dedit, & in Xenodochio Teutonico sepulta est. Numerosam hęc prolem suscepit: Florentium, qui patrem in imperio secutus est, Othonem Benthemiæ Comitem, Balduinum Trajectinum Antistitem, Theodoricum, qui fratrem in pontificatu secutus est, Peregrinum, qui infans obiit, Robertum denique, cui falso inusta fuit illegitimi nota: fœminas vero illustres, Sophiam Abbatiæ Rhenoburgensis Antistitam, Hadwigin Vestalem ibidem virginem, Petronellam forma excellen-

tem, & Gertrudin, quæ in ipſa infantia mortua eſt. Eo anno quo pater Theodoricus vitam cum morte commutaverat, in imperio ſucceſſit Florentius tertius, qui per conjugium regiæ Scotorum familiæ ſe inſeruit. Adam enim Henrici Principis filiam, cui poſt obitum patris Davidis ſceptra Scotiæ, niſi fati iniquitas eum ſuſtuliſſet, debebantur, uxorem duxit. Quæ cum huc tranſvecta, quanto gaudio tota hæc admodum regio imbuta fuerit, ebulliens & vix ſe ſuo alveo continens Moſa teſtabatur. Ex hac fœcunditatis certiſſima

sima pignora suscepit, Didericum Imperii hæredem, Guilielmum Frisiæ Orientalis Comitem, Florentium, Robertum Kermerlandiæ Præsidem, Beatricem, Elisabetham, Alitam, Margaritam Cliviæ Principem. Contra Groninganos & Drentanos prima illi expeditio, qui Trajectensem Præsulem, dum dominium urbis ad se transferre conabatur, fere ad incitas redegerant, nisi auxilium Comitis & Frederici Barbarossæ Imp. auctoritas ad mitiora consilia pacisque conditiones eos redegisset. Mox inter Præsulem & Co-

tem de Orientalis Friſiæ Dominio diſſidiorum ſegetes natæ, quæ in nervum erupiſſent, niſi ejuſdem Imp. pacatum ingenium totam cauſam ita decidiſſet, ut æqualis utrique poteſtas cõceſſa fuerit. Quam tamen integram iterum ſibi Comitem poſtea uſurpaſſe, Acta publica inter Theodoricum Antiſtitem & Guilielmum Comitem probare videntur. Maximos dein motus irritati Friſii dedere. Harlemenſes Scagam incendio fœdaverant, maximoque damno colonos multaverãt. Quam injuriam dum vindicatum

eunt Frisii, Alcmariam occupant, totam igne excepto templo consumunt. Biennii interstitium hunc furorem sedaverat, cum nostri media hyeme, quæ acerrimo frigore omnia vada constrinxerat, Scoreliam profecti: primique ex nobilitate, dum excursionibus vacant, à Frisiis intercepti, ad unum fere omnes, inter quos etiam Simon Antverpianus, Iuvenis virtute apud historicos celebris, occisi sunt. Quæ victoria anno sequente hosti ferociam atque spiritus addidit, dumque iterum Alcmariam contendunt, à nostris

ſtris impediti. Tanta rebellium contumacia juſtiſſimam Comitis indignationem excitaverat. Ingreſſus itaque illorum fines manu militari, Wincelam & Nidorpam incendit, Teſſaliam, Wiringiam, Flevolandiam ſub jugum egit, atque immenſa argenti ſumma mulctavit. Eadem fere tempeſtate tanta aquarum vis & ventorum furor hanc regionem preſſit, ut agri undique ſubmergerentur, atque immenſa arborum moles proſterneretur. Memorabile inprimis diluvium eſt anni MCLXXIII, quo, ſi Junio credi-

dimus, Teſſalia cæteræque inſulæ à continenti abruptæ, integræ ſylvæ obrutæ, & immenſam voraginem terrarum Oceanus abſorbuit. Recruduiſſe poſt hęc bellum Flandricum, cujus ſupra meminimus, Comitem noſtrum captum, Mejerus auctor eſt, ſed cum antiqua Hollandorum monumenta de eo conticeſcant, potius exiſtimavi, ſilentii velo obducere, quam ex Flandrorum fide noſtram contaminare hiſtoriam. Quin nos potius ad nobiliſſimam Hieroſolymitanam contra Saracenos expeditionem accingamus,

qua ſub auſpiciis Frederici Barbaroſſæ contra infideles noſter Comes egregium virtutis trophæum erexit. Peluſium oppidum Ægypti, quæ Damiata quoque appellatur, Nilo flumini incumbit, & catenarum mole infra aquas dimiſſa invictum id temporis habebatur. Hujus urbis expugnationem (niſi potius hæc hiſtoria in aliud tempus differri debeat) ſagacitati Gulielmi filii Comitis attribuunt Annales noſtri. Navis enim Hollandica ſerratis dentibus ſuppoſitis ſecundo & vehementi vento impulſa obices clauſtrorum perru-

perrupit, atque urbem ipſam obruit. Ita tota claſſis memorabili virtute munitiſſimum oppidũ penetravit. Hoc prælio Harlemenſium virtus etſi incertis auctoribus nova armorum inſignia meruiſſe, & ab Imp. atque Patriarcha Hieroſolymitano gladium cum cruce accepiſſe, atque id antiquo inſigni, quod quatuor præ ſe ferebat ſtellas, inſeruiſſe dicitur. Cujus rei veritas merito à ſagacioribus ſuſpecta habetur. Hac expeditione anno MCXC, Florentius Comes, cum præfuiſſet Hollandiæ XXXIII annos

ſpiritum Deo dedit, & Antiochiæ juxta tumulum Frederici Barbaroſſæ, qui eodē anno in Cydno, vel, ut alii, Selepho Armeniæ minoris flumine ſubmerſus fuerat, à filio ſepultus eſt. Succeſſit in imperium Theodoricus VII, an. MCXC, qui Adelheidin Theodori Comitis Cliviæ filiam nuptiali vinculo ſibi junxit. Prima illi cum fratre Guilielmo, qui ab Hieroſolymitana expeditione recens domum redierat, contentio, quam malevolorum artes conflaverant. Guilielmus virtutis ſpectatæ Princeps facile Drechtanos in ſuam partem

tem permovit, quorum auxilio finitimos Hollandorum fines depopulabatur. Hanc civilem seditionem externum quoq; Balduini Flandriæ Comitis bellum graviorem fecit. Telonii enim Gervlitensis importuna exactione irritatus, armata manu Walachriam invasit. Pressus hac angustia Comes extrema quæque expectabat, nisi Fortuna imbecillioré partem elegisset. Memorabile dictu, eodem tempore Comitem à Flandris, Adam uxorem à Frisiis victoriam reportasse. Ita duplex quæ imminebat calamitas in geminam

minam lætitiæ cauſam mutata eſt, & inexpectatus triumphus omnium pectora gaudio immenſo implevit. Diſſidium hoc fraternum Balduinus Trajectenſis Antiſtes & fratres ejus neceſſitudine ſanguinis freti non difficulter ſopierunt. Conditiones additæ, ut Gulielmo Friſiæ Orientalis Comitatus fiduciario jure cederet, qui Kuinderenſe itidem dominium ſuæ ditioni armata manu adjecit. Interea Balduino Epiſcopo mortuo, de ſucceſſore inter Theodoricum Hollandiæ, & Othonem Geldriæ Comites nova contentionum

num ſemina diſparſa ſunt. Urgebat Hollandus Theodoricum demortui Antiſtitis fratrem, Geldrus Adrianum Iſeburgenſem. Suffragiis eorum, quibus jus eligendi competebat, diviſis, uterque Epiſcopus denunciatur. Hollandia, & oppidum Trajectenſe Theodorici partes, Geldria, Tranſiſulania, & ſuperior Diœceſios Epiſcopalis tractus Adriani ſequebatur. Delata cauſa ad Romanam Curiam, dum ſub judice lis *hæret*, defenſor Epiſcopatus ab Henrico Imp. conſtitutus Theodoricus Hollandiæ Comes. Is dum redi-

reditus annuos colligit, Transisulania auctore Geldro resistebat. Nec mora, Velavia à nostris igne, ferro misere vastatur, bona passim cum armentis diripiuntur. Hanc injuriam dum Geldrus subita manu militari vindicare aggreditur, cruento diu utrinque prælio dimicatum est. Sed Geldri in fugam lapsi, multorum sanguine terram tinxere. Gratulaturus fratri dum occurrit Guilielmus, ab Henrico Cranio, cum quo antea bellum gesserat, neque contra nitente Comite, carceri traditus. Ex quo liberatus ad Othonem Gel-

Geldriæ Comitem aufugit, atque filiam ejus ſibi matrimonio junxit. Acceſſit & alterũ conjugium Henrici Geldriæ Comitis Filii cum Adelheida Comitis noſtri filia, quo antiquæ lites ſopitæ atque obliteratæ ſunt. Verum invida Parca utriuſque filum propere admodum abrupit, & gremio telluris Rhenoburgi commiſit. Interea temporis ſententia Romanæ Curiæ de ſucceſſore Traiectenſis Epiſcopatus definita, & Adrianus Iſeburgenſis ſedem vacuam adeptus. Sed ſubitâ morte extinctum Theodoricus ſecutus eſt.

Quo

Quo in itinere Romano itidem mortuo, ad Theodoricum Aranum tanta dignitas pervenit. Qui dum tributa à Friſiis Orientalibus petit, in præſentem Comitis indignationem incidit. Captus Staveræ Epiſcopus, ſed religioſorum opera elapſus. Cum deinde ſe Hollandus & Geldrus jure ſanguinis conjunxiſſent, bellum grave exarſit. Geldrorũ violentiam Transiſulania, Hollandorũ Trajectum ſentiebat. Quin & extrema Epiſcopus expectabat, niſi Othonis (vel potius Gerardi) Geldriæ Comitis apud Lotharenum capti-

captivitas Fortunam ſubito mutaſſet. Lotharingi enim fines ingreſſus Comes Hollandiæ, Sylvam Ducis occupavit, igne fœdavit, Duciſque fratres captivos abduxit. Lotharingo Archiepiſcopus Colonienſis, Limburgi Dux & Flandriæ Comes copias ſuas & vires junxere. Queis fretus Henricus Lotharingiæ Dux Hollandos inſequitur, & milite ſuperior illatum damnum captivitate Comitis compenſavit. Interea Geldriam Hollandiamq; Antiſtes Trajectēſis igne & ferro depopulatus, Daventriam & Zutphaniam ſui

juris fecit. Sed ſecuta mox inter Lotharingum & Hollandum pace, Antiſtes quoque eandem conditionem accepit. Turbis compoſitis in æternam quietem receptus Theodoricus Comes anno CIↃ,CCIII, cum præfuiſſet Hollandiæ tredecim annos. Poſt cujus mortem Ada maximos motus incitavit, cum Adelheidis matris inſtinctu, abſque procerum conſenſu, Ludovico Loſſenſi Comiti infeliciter admodum nupſiſſet. Dum enim ætatis levitate impares nuptias amplectitur, & recentem ex morte patris luctum etiam

iam ante exequias nuptiali feſto fœdat, juſtam patrui indignationem merita eſt: Principes quoque Hollandicæ Nobilitatis Imperium impotentis fœminæ, multo minus mariti tolerabant. Accerſito Gulielmo Comes Loſſenſis Harlemo Ultrajectum aufugit. Ada Leidæ obſeſſa capta, carceri in Teſſalia inſula mancipata diem ſuum obiit. Quanquã autem antiquiores Hiſtorici ex albo eam Comitum expunxerint, legitimam tamen ſucceſſionem potiorem duximus. Etſi vero Gulielmus Theodorici frater imperium poſtea jure

arripuerit, Comes tamen Loſſenſis continuis velitationibus non minimum illi moleſtiæ exhibuit. Expulſo ſuppetias tulere Epiſcopus Leodienſis, Dux Limburgi, Comes Flandriæ, Trajectenſis Antiſtes, qui hac lege non exigua pecuniæ adjumenta præſtitit, ut victor Præſulem tanquam Patronum agnoſceret. Dubia diu inter utrumque Martis alea fuit, & victoria alternas fere vices agebat. Sed tandem Loſſenſis, ſpe omni decollata, Hollandia expellitur. Ita rerum potitus Guilielmus, aliquot inimicorum arces, inter quas

quas etiam Trajectenſium erant, ferro conſumpſit atque evertit. Irritati hoſtes Dordracum profecti, ignem in urbem jaculati, totam fere incendio vaſtarunt. Acceptæ mox pacis conditiones, & non exigua argenti ſumma multatus Comes, atque juſſus Henrico Cranio, qui eum captivum olim carceri tradiderat, omnia ſua bona reſtituere. Interea Malcolumbus Scotorum Rex Comitis avunculus ad plures abiit, & ad ſe devolvi ſceptrum legitimo jure ſanguinis Guilielmus exiſtimabat. In Scotiam itaque profectus im-

perium vi arripere conabatur, multaſque urbes ſui juris jam fecerat: atque adeo faſces in totum ſibi uſurpaſſet, niſi Loſſenſis Comitis intempeſtiva in Hollandiam irruptio domum eum revocaſſet. Ita Fortunæ ludibrium metuens, re infecta cum ſuis in patriam ſe recepit. Loſſenſis autem Comes potentiam Comitis ſuſpiciens, poſt hoſtiles depopulationes cum copiis ſuis ſe ſubduxit. Ceſſatum hinc ab armis, & jucunda quies animos noſtrorum lætitia irrigavit. Ex Adelheida Othonis Geldriæ Comitis filia conjugii comes

noſter

noſter aliquot pignora ſuſcepit, Florentium nimirum, qui paterno Comitatui ſucceſſit, Othonem Friſiæ Orientalis Comitem, & mox Præſulem Trajectinum, Guilielmum Kermerlandię Præſidem, Adam cœnobii Rhenoburgenſis antiſtitã, & Richardim. Uxore mortua ad ſecunda vota ſe applicuit, & ducis Lancaſtriæ filiam vitæ ſociam elegit, ex qua nullam prolem ſuſcepit. Ipſe naturæ extrema perſolvit anno CIↃ CCXXIII, cum decem & novem annos imperio pręfuiſſet, & Rhenoburgi tumulatus eſt. Filius ejus Florentius IV ex-

inde Comitatu potitur, ſpectatæ virtutis Princeps. Machtildin Henrici Lotharingiæ Ducis filiam conjugem accepit, ex qua nati Guilielmus Romanorum Rex, qui natus Lugduni Batavorum, Florentius Prę-ſes, Alitha Hanoviæ Comes, & Margarita, quæ, ſi Annalibus fides, ex Hermanno Hennebergenſi u-
365 no partu trecentos ſexaginta quinque liberos in lucem edidit. Sed temporis apud hiſtoricos varietas, in numero prolis diſcrepantia, ſcriptorum qui eo tempore vixêre de tanto miraculo ſilentium, ſuſpectam hanç hiſto-

hiſtoriam ſuo jure faciunt. Neque vero ullum Hermannum Hennebergiæ Comitem familiæ Comitum Hollandiæ iugali vinculo inſertum Genealogiæ confirmant. Hoc tempore Stadingani veluti furiis concitati, ad idola ſua animum adjecere, verum Dei cultum in ſua ditione exterminarunt, quin eo abiere turpitudinis, ut inceſtos cum matribus & ſororibus concubitus approbarent. Neque Cæſaris edicta neque Pontificis auctoritas à vitæ inſtituto eos deterruit. Ipſi Legato Pontificis plurimiſque eruditione conſpi-

cuis theologis, qui à Gregorio IX missi ut perditos mortales ad meliorem frugem reducerent, primo contumeliis illusere, mox etiam trucidarunt. Iussu itaque Pontificis bellum decretum, cui operam addixerunt Florentius Comes Hollandiæ, Henricus Dux Brabantiæ, Theodoricus Clivensis, plurimique ex primâ nobilitate. Tantam tum temporis radicem Christiana religio in animis hominum egerat, ut infidelium nomen eos ad arma zelo quodam abriperet. Neque vero infeliciter hæc expeditio successit. Quatuor

tuor enim millia cęsi, totaque regio prædæ victorum relicta. Sicuti autē difficile ignis limitibus suis continetur, sed coruscum jubar in cœlum extollit, ita etiamin victi Principis nostri virtus vicinas regiones admiratione impleverat. Claromontanus instinctu uxoris, quæ tanti Comitis aspectum desiderabat, ludos militares, quæ Barbare torneamenta appellamus, indixit. Eo in certamine dum Florentius inter cæteros Principes primas partes tenet, atque immodicis laudibus à Claromontani uxore augetur, maritus ejus adul-

adulterum ſibi paratu credens, improviſũ confodit. Sed neq; juſtiſſimam pœnã evaſit Claromontanus, qui à duce Clivię interfectus inferiis optimi Principis litavit. Exequię Rhenoburgi maximo omnium luctu & ſqualore inſtitutæ ſunt. Vidua veluti publicum ſanctimoniæ & pietatis delubrum, egregium ſacris virginibus cœnobium Loſdunæ prope Hagam Comitis erexit, in quo Margaritæ filiæ, prolis multitudine celebris vulgo ſepulchrum oſtenditur. Anno CIↃCCXXXV Guilielmus II patri ſuccedit, cum ætatis ſuæ ſextum

ſextum annum ageret. Ejus tutelam Otho Trajectenſis Epiſcopus avunculus cum laude geſſit. Qui Drentanos & Covordienſes ita ſub jugum miſit, ut nemo de rebellione unquam amplius cogitaret. Ubi plenam ætatem attigit Comes, Eliſabetham Othonis Ducis Brunſvici & Luneburgi filiam matrimonio ſibi junxit, ex qua genitus Florentius v Imperii hæres. In ipsâ admodum nuptiali celebritate triſte in pyrgo incendium Brunſvici ortum tanta vehementia obvia quæque conſumpſit, ut ipſe ſponſus cum ſponſa vix ex cubi-

cubiculo, cujus tabulata ſæviens ignis jam arripuerat, evaſerit, diadema atque inſignia imperii & pretioſæ admodum gemmæ conflagraverint, nonnulli quoque ex miniſtris extincti fuerint. Principem hunc virtutis bellicæ cęterarumque virtutum corona quam maxime condecorabat, quæ illum ad coronam Imperii Romani promovit. Eo enim tempore Fredericus II & Conradus IV ejus filius anathemate Pontificis Innocentii IV Imperii exules fuere. Henricus Landgravius Haſſiæ, qui per Pontificem ad ſummum dignitatis

tis culmen pervenerat, vitâ mox defunctus est. Plurimis Principibus Henrico Comiti Geldriæ (Othonem tamen Nassovium Comitem & Henricum ejus fratrem memorant Annales) Henrico duci Brabantiæ & Lotharingiæ, Richardo Comiti fratri Henrici III Regis Angliæ, Hacconi regi Norvegiæ oblatum diadema à Capucio Papæ legato, sed nemo non recusavit, donec tandem Gulielmus viginti annorum juvenis conditionem accepit. Quã electorum quoque confirmarunt suffragia. Sed Aquisgranum, ubi antiquo ritu

ritu à Caroli Magni uſque tempore corona imperii ſuſcipi ſolet, reluctabatur. Verũ arcta obſidione preſſa dominum tandem agnovit. Simul atque imperii inſignia adeptus eſt, plurimos novis beneficiis auxit: Othoni Geldriæ Comiti Neomagum certa pecunia fiduciario jure conceſſit: Iohanni itidem Chalonio Comiti Burgundiæ, Arelatenſis Regni jura atque reditus tribuit: novis privilegiis Trajectum, Delfos, Medioburgum condecoravit. Harlemo quoque aulam Hagam Comitis, quod hodie nobiliſſimum totius Euro-

Europæ municipium eſt, traduxit, & ſplendidiſſimũ palatium erexit. Occaſionem eruenti admodum belli Margareta Nigra, quæ Flandriæ præerat, exhibuit, dum Walachriam Selandiæ inſulam, quam ſuæ ditionis exiſtimabat, maximis copiis invadit. Mejerus tamen diligentiſſimus rerum Flandricarum ſcriptor antea bellum exarſiſſe refert, quod Ioannes Avenienſis ægerrime ferret, matrem Margaritã poſterioris thori primogenito Flandriæ imperium deſtinare, quam jure optimo ſibi debitam contendebat. Cui bello

ſanguinis neceſſitudine junctus ſe immiſcuerat Guilielmus. Res ita deciſa, ut Dampetra Flandriam, Avenienſis Hollandiam obtineret. Sed & poſtmodum Guilielmus Flandris inimicus Margaretam Comitem Flandriæ terris imperialibus privavit, quod fidem Cæſari non præſtitiſſet, Iohannique Avenienſi attribuit. Hinc bellorum graviſſima exarſere incendia. Margarita muliebri impetu Walachriam invadit. Expectavit ejus copias intrepido animo Florentius Comitis frater, tantaque Weſtcapellæ Flandrorum cædes fuit,

fuit, ut ſanguinem occiſorum vix ipſa terra imbiberet, cæteros omnes vel aquarum gurges abſorbuerit, vel fato ſuperſtites captivitatis vincula conſtrinxerint, inter quos Ioannes & Guido Dampierii, Comitis Flandriæ filii, multique alii ex prima nobilitate. Plurimi ex militari plebe omnium egeni, exuti veſtimentis ſummo cum dedecore domum reverſi. Etiam captivos bijuges flagellis cæſos ſumma cõtumelia nonnulli commemorant. Margarita tanta clade commota, à Carolo Andegavenſi, Ludovici Galliarum

Regis fratre, ſuppetias poſcit, Hannoniam ultro offert, quam Ioanni Avenienſi filio, qui Alitã Regis Guilielmi ſororem uxorem duxerat, ſumma injuria eripuit. Iamque adeo tota Hannonia, ſi Angiam exceperis, faſces novi domini agnoſcebat, & à Rege admonitus Andegavenſis cõtumelioſa quoque verba in illum torquebat. Quorum impatiens Gulielmus, magno paſſu in Hannoniam contendit, Angienſem obſidionem liberat, Carolum demum eo compulit, ut fugitivus propriosLares repetierit, neque caput objicere tan-

tanto Principi auſus ſit. Ita res male partæ ſubito iterum dilapſæ, & ſuperbus ille ſpiritus plenus minarum diſſipatus in ventos abiit, & ludibrium ſui cæteris Principibus præbuit. Quemadmodum enim utres aëre turgidi nullo negotio preſſi ventum excutiunt, ita ſuperbia exiguis fulta viribus, validiori manu facile comprimitur atque evaneſcit. Hannonia recuperata, atque Avenienſi reſtitutâ, inter Guilielmum & Margaritam pacis inſtitutæ conditiones effuſum antea ſanguinem extinxere. Rebus domi

compoſitis Comes ad Innocentium IV, qui tum Genuę agebat, profectus, ut imperii inſignia, & Pontificis confirmationem acciperet. Domum reverſo Friſii turbidi atque inquieti rebellionem movent, quibus nonnulli ex Trajectinis ſe conjunxerant. Quorũ prę-ſens odium, dum Trajecti moratur Rex, ſenſit. magno enim vulneris hiatu caput ejus ſilice percuſſum in tantam illum provexit indignationem, ut de excidio urbis cogitaverit. Sed primo aggreſſus expeditionem contra Friſios, miſerabili fato interemptus eſt.

Dum

Dum enim incautius comitibus relictis Hoogwoudam versus media hyeme iter instituit, fracta glacie simul cum equo in paludem præceps fertur, cui implicitus à Frisiis ignaris Regem esse (quanquam hæc longe aliter Matthęus Parisiensis memoriæ tradidit, qui à Frisiis agnitum & in frusta sectum commemorat) misere confoditur. Corpus ejus clanculum rustica casa sepultum, & postea inventum in Præmonstratensium Cœnobio Medioburgi conditum est. Mortuus vero est anno CIↃCCLVI, cum imperio Ro-

mano annos VII præfuiſſet. Ex Eliſabethâ Brunſvicenſi Florentium V genuiſſe traditũ eſt. Meierus Guidoni Flandriæ Comiti Machtildin filiã deſponſatam commemorat. Beatricem quoque Ferdinandi Caſtiliæ Regis uxorem, Alphonſi matrem, inter filias Guilielmi Cuſpinianus enumerat. Verum eam Philippi Auguſti filiam, Frederici Barbaroſſæ neptem fuiſſe; Hiſtoricorum, qui id temporis vixerunt, monumentis convincitur. In defuncti locum filius Florentius V ſucceſſit. In ipſo infantiæ veſtibulo ſub tute-

lâ

lâ Florentii patrui, & poſt ejus mortem, Henrici III Ducis Brabantiæ, vixit. Sed hoc ob nimiam aulicorum inſolentiam remoto, ad Othonem Naſſovium Geldriæ Comitem imperii cura pervenit. Verum Zelandi Alitham, viduam Iohannis Avenienſis, defuncti Comitis ſororem gubernaculo admovere, unde natæ contentiones in civile bellū eruperunt. Quę cruento utrinque prælio finitæ. Victor autem Naſſovius faſces ſibi retinuit. Diuturniores hinc Kermeriorum & Weſtfriſiorum motus, quos incitaverat inveterata

tum adverſus Trajectenſem Nobilitatem odium. Multæ arces incenſæ, dirutæ, ipſa urbs obſeſſa & coacta ex plebeiis novum Magiſtratum conſtituere. Raro admodum exemplo factiones plebeias fovebat Giſbertus Amſtelius primæ apud ſuos nobilitatis, & ſub publico nomine privatam vindictam agens, plurimas nobilium arces funditus delevit. Harlemum, quo plurimi Nobiles & Patricii confugerant, obſidione mox cinxerunt: ſed Harlemenſes ex inſidiis elapſi à tergo pagos illorum in ignem conjecere: quo perterri-

territi domum quiſque ſuam aufugit. Plurimi fugiendo cæſi, vel capti. Hac occaſione Trajectenſis Epiſcopus, & Geldriæ Comes Hollandiæ tutor urbi Epiſcopali imminebant, ſed ſpe fruſtrati Amisfortum, quæ eidem rebellioni ſe implicuerat, ad ſuas partes redegerunt. Biennio elapſo Sueterus Boſichemus ſpectatæ virtutis eques cum exulibus clanculum muros Trajecti militari audacia tranſgreditur, urbem invadit, prælium acre & cruentũ cum civibus committit, victor priorem Magiſtratum dignitati reſtituit.

Sed

Sed neque ita tumultus ſedatus eſt, verum novo furore accenſus eſt. Ejecti enim cives, qui factionis principes erant, clanculum urbem ingreſſi, ſeditione & cædibus cuncta miſcent, &, niſi virtute Nicolai Catzii Equitis rebelles compreſſi fuiſſent, miſerabilis urbis facies apparuiſſet. Mox cum per ætatem jam imperio par eſſet Florentius, faſces legitimos ſibi uſurpavit anno CIↃCCLXXII. Prima illi expeditio contra Weſtfriſios, vindicandæ paternę cędi. In qua incerta belli alea, dum neuter victor neque victus. Vero-

nenſi

nensi tamen prælio inclinaverat Fortuna belli, multique ex Hollandis cæsi. Interea Comes Equitis accepto titulo Alitham tutricem quondam suam cum liberis summa cum ignominia regione sua expulit, si rythmico veteri Poëtæ fides adhibenda. Etiam altera in Frisiam expeditio memoratur Historicis, ubi Comes superior insigni clade Frisios affecit. Numerus occisorum incertæ fidei. Quo in prælio cadaver patris inventum postea Medioburgi sepultum est. Horrendū dein diluvium multos aggeres Frisiæ perrupit, multa

multa millia hominum atque pecudum aquis obruit, immenſamq; agrorum multitudinem inter Enchuſam & Staveram divulſit. Hac calamitate preſſi Friſii, Florentii quoque Brederodii virtute jugum ferre coacti. Et quos bellum nequiverat, juncta ferro aquæ violentia protrivit. atque aliquot conſtructis arcibus Friſiorum ſpiritus contumaces oppreſſit. Superatis Weſtfriſiis Comes Staveram profectus, quæ legitimum dominum ſponte agnovit. Quapropter multis immunitatibus à Florentio ornata civitas. In

eadem

eadem fere tempora hiſtorici referunt Flandrorum novos motus ad Walachriam occupandam. Quos conjugio Beatricis Guidonis Comitis filię cum Florentio Comite ſopitos itidem tradiderunt. Sed multo ante hæc contigiſſe ratio temporum ſuadet, & Mejerus accuratiſſimus Annalium Flandricorum ſcriptor commemorat. Quo quidem tempore dotis loco Florentio tota Zelandia ceſſit, & Comitatui Hollandiæ juncta. Anno CIↃ CCLXXXVI inter Ioannem Zyricum, quamvis alii Naſſovium velint, Epiſcopum

Ultra-

Ultrajectinum, & Gisbertum Amſtelium atque Hermannum Woerdanum, ſuper Vredelandiæ & Montfortii arcibus contentiones ortæ. Fortuna inferior Antiſtes Comitis auxilium imploravit. Qui præſidio & virtute Zelandorum prope Lounam pagum victoriam ab hoſtibus reportavit. Multi ex prima Nobilitate cæſi. Principes factionis Gisbertus Amſtelius cum fratre Arnoldo & Hermanno Wordano, quẽ tamen nonnulli evaſiſſe exiſtimant, captivi in Zelandiam deducti. Arx Montfortia, quę Wordano parebat,

bat, per totum annum obsidionem Comitis toleravit & eluſit, ſed tandem vi victâ, cuncti, exceptis duobus, capite puniti, & ſanguine ſuo indignationi atque iracundo Principis calori ſatisfecere. Pax dein certis conditionibus conſtituta, in pectoribus tamen devictorum neutiquam cõfirmata, ad graviſſimum perduellionis crimen; eoſdem uti ſuo tempore videbimus, accendit & irritavit. Neque priores injurias nova atque ingentia beneficia extinxere. Quippe Gisbertus Amſtelius & Hermannus Wordanus intimis Cõ-

filiis adhibiti. Eo quidem periculosiores inimici, quo amicitiæ illos umbra maxime protegebat. Eadem fere tempestate Theodorus Cliviæ princeps Heusdæ & Woudrichemi Dominium Comiti Hollandiæ dono dedit, ejusdemque donationis publica instrumenta Hagæ confecta sunt. Porro Margarita Scotiæ regina sine hærede defuncta, plurimi Principes regnum ambiebant, inter quos jure sanguinis se potiorem Florentius existimabat, utpote qui ab Ada, Florentii III uxore, Henrici Scotiæ Principis filiâ, genus suum

dedu-

deduceret. Profectus itaque in Angliam, consilio Eduardi Regis actionem suam vendidit, & Ioannes Bailolius fasces Imperii quamvis non longo tempore sibi usurpavit. Consummatum quoque inter Ioannem Comitis filium & Elisabetham Eduardi Regis Angliæ filiam matrimoniū, atque inter Anglum & Hollandum fœdus amicitiæ percussum. Interea Wolfardus Verius, Ioannes Renessius, Florentius Borsalius, Zelandiam contra Comitem incitarunt: quibus Flandrorum novi motus accessere. Medio-

burgum arcta obsidione à Guidone pressum, cui incassum suppetias ferre Comes conatur. Consilio itaque Ioannis Ducis Brabantiæ Biervlitam proficiscitur, ut disrupta Flandri amicitia resarciretur: sed contra fidem carceri traditus, ex quo vadibus datis à Ioanne Brabanto mox solutus. Cũ Principibus Zelandicæ factionis etiam pax constituta. Inquieta quidem Flandrorum ingenia iterum arma movebant. Sed eorum ferociam Ioannes Renessius contudit, Slusam Flandrorum oppidum igne fœdavit, Frisii quoque Catsandam

ſandam ferro depopulati ſunt. Trajecere itidem Flandri magno navium apparatu in Zelandiam, quorum plerique cæſi, vel aquis ſuffocati, aut capti ſunt. Pace ita extortâ, cum Angliæ Rex promiſſas fœderis conditiones Comiti non ſervaret, Florentius cum Gallorum Rege Philippo Pulchro & Ioanne Comite Hannoniæ, filio amitæ ſuæ fœdus percuſſit. Hæc prima conſpirationis contra Comitem fundamenta. Indigne admodum fœdus illud Gallicum Eduardus Angliæ Rex, & Guido Flandriæ Comes

Florentii ſocer tulere. Quorum partes cum Philippus quoque Brabantiæ Dux ſequeretur, Cameraci de Comite capiendo, atque in Angliam tranſmittendo, filioque ſubſtituendo conſilium initum. Philippi animum, ſi Snoyo fides, exacerbaverat, quod captivum antea Comitem apud Flandros redemiſſet, neque pecunia reſtitueretur. Facile quoque Principes Nobilitatis Hollandicæ ad tale flagitium inflammabantur. Amſtelio & Wordano illata quondam damna ob oculos verſabantur. Nobilitatis quoque in-

ſignia

ſignia locupletioribus ruſticis conceſſa vere nobilibus indignationem atque bilem moverant. Expulſa etiam Adelheidis odium concitaverat. Velſenii itidem animum adulterii nota, etſi tacentibus illius ævi ſcriptoribus vacillat hic Annaliū fides, exacerbaverat. Virginitatem delibaſſe filiæ Ioannis Heuſdani, ex qua nobilis Hamſtediorum familia originem cepit, Hiſtoriæ teſtantur. Quam poſtmodum Velſeno in matrimonium oblatam, & contemptam ægre admodum tulit Comes, præcipue cum citra conſenſum

ad Wordani filiam animum appuliſſet. Fratrē Velſenii capite multatū, Gerardum autē Velſeniū per integrum annum carceri incluſum fuiſſe teſtantur Annales. Occaſionem tanto ſceleri nimia Comitis ſecuritas dedit. Dum enim poſt epulas cum conjuratis tranſactas inſtinctu Amſtelii ad aucupium ſe accingit, atque extra Ultrajectenſis civitatis pomœria exiguo Comitatu liberius divagatur, ab inimicis interceptus, atque captus eſt, quo poſtmodum in Angliam tranſmitteretur. Aliis graviſſimis injuriis acceſſit vincu-

lorum

lorum intolerabilis Principi contumelia, atque hordei aculeis corpus attritum. Sed jam Kenemarii commoti conjuratis imminebant: qui dum in fuga præsidium ponunt, & à Nardensibus intercepti, primus in Comitem Velsenus gladio stricto involat: quo elusо præceps Florentius in fossam fertur: ubi primo præfectis manibus à Velseno quatuor vulneribus percussus, mox à cæteris conspiratis viginti & uno vulneribus sauciatus est. O execrabilem crudelitatem, qua Principis sanguine manus perfidas macularunt, &

in viſcera publici patris graſſati ſunt! Nihil eſt tam nefandum, atque inauditum, quod animus in ſcelere confirmatus aggredi non audeat. Unum ſcelus aliud trahit, & veluti catenâ ligat. Non ſatis erat cepiſſe Comitem, niſi & jam occidiſſent: neque cruor tanti Principis efferatos animos ſatiavit, niſi & libero homine indignas contumelias inuſſiſſent. Numero certe vulnerum Iulium Cæſarem ferme æquavit. Cujus uti clementiam odium Nobilium ſuperavit, ita hunc beneficiorum vis atque potentia oppreſſit. Uterque

Uterque facundus & bello inclytus, ambitionis æstu flagrans. Utriusque cædes non inulta permansit. Conjurati certe Comitis nostri misera pleriq; morte furori populi litarunt, nisi quod Amstelius & Wordanus in exteras regiones anfugerint, & vitæ suæ consuluerint. Velsenus Saendiusque à Clivio militi, qui Croneburgum arcem obsederat, traditi, manibus crudeliter dilacerati, ejusdem ferocia ne quidem cadaveribus pepercit. Nonnulli tamen Velsenium à Leidensibus dolio defixis aculeis misere per urbem circumvolutum tradi-

tradidere. Reliqui itidem, inter quos præcipui Arnoldus Benſcopius, Wilhelmus Teilingius, Hugo Baerlandius, Gerardus Crajenhorſtius cum cæteris dignum fere tanto flagitio exitum habuere. In propinquos uſque ad nonum gradum ſævitum nonnulli tradiderunt, ſed publicis monumentis facile refelluntur. Cadaver Comitis Alcmariam tranſportatum. Memorabile illud duos venaticos canes dum cadaver ſui Principis ſequũtur inedia præ mœrore contabuiſſe, & extremum fidelẽ ſpiritũ domino deſtinaſſe, niſi vi abſtracti

ſtracti fuiſſet. Interea Theodericus Cliviæ Comes loco Ioannis, qui patri hęreditario jure an. MCCXCVI ſucceſſerat, & apud Eduardum Regem Anglię morabatur, curam Reip. ſuſcepit, propter patrocinium conjuratorum admodum Hollandis inviſus. Quod flagrans odium nimia ex alieno ſumptu prodigalitas, à quo vitio natura gens noſtra abhorret, plurimum auxit. Neque Guido Hannonii frater facile ſe illius potentiæ opponere potuit. Verum adventus Ioannis Hannoniæ Comitis Hollandis gratiſſimus auctoritatem ejus

jus plane conculcavit, ita ut domum redire coactus fuerit. Dum turbarum hæc tempestas totam regionem lacerat, occasionem optimam ratus Wilhelmus Mechlinienſis Trajectinorum antiſtes Mudanam arcem invaſit, & recuperandæ libertatis colore facile Friſios Occidentales ad ſuas partes traxit. Wideniſſa, & Emengaburgum arces validè, illorum vires ſenſerunt, funditusque deletæ. Incendio Medenblica vaſtata, animos addidit ad arcem invadendam. Quæ cum hoſtium violentiam, & annonæ

næ penuriam, clauſis rivis qui ad urbem ducunt, fortiter toleraſſet, ſerius tandem adventu Avenionis, Enchusâ flammis vaſtatâ, Friſiâ direptâ, obſidione ſoluta eſt. Eodem enim tempore Middelburgum nobile Zelandiæ oppidum à Flandris inſtigante Wolfardo Borſalio longo tempore obſeſſum, mox vero liberatum, adventum Comitis protraxerat. Nimium dein popularis auræ ſtudium Avenioni affectati imperii ſuſpicionem apud Proceres creavit. An vere an falſo non diſputo. Illud utique compertum illuſtres maxi-

maxime virtutes, queis populi favor acceſſit, in liberâ Rep. periculoſas eſſe. Miſſi itaque in Angliam legati, inter quos Princeps Theodericus Bredẽrodius, poſtulatum à Rege, ut Comitem Ioannem imperio deſtinatum etſi admodum adoleſcentem ſecum diſcedere pateretur. Annuit Eduardus Rex poſtulato: cõſummâtoque inter Eliſabetham filiam & Comitem matrimonio, maximo cum honore dimiſit. Ubi Comes in Zelandiam appulit, undique gratulationes populi circumſonabant, nobiliumque maximo gaudio

cun-

cuncta perſtrepebant. Neque tenera ejus atque inconſulta ætas à veneno adulationis, quod blande generoſiorum juvenum pectoribus irrepere ſolet, cavere ſibi potuit. Wolfardus enim Borſalius ita repente mentem adoleſcentis abripuit, ut nihil fere ſine ejuſdem auctoritate perageretur. Quod uti proceribus invidendum, ita Bredenrodio, cui Comitis tutela à Rege commiſſa fuit, non tolerandum erat. Quin & idem inſidias Avenioni ſtruxit, qui fuga vitæ conſuluit. Cujus abitu Friſiorum animi ad novam re-

bellionem accensi. Maximus ardor Veronensium. Verum acerrimo prælio à Comite cæsi, Verona in ignem conjecta. Bello finito ad novam potentiam augendam & confirmandam iterum se Wolphardus contulit, cui potissimum Renessius resistere videbatur. Perduellionis itaque eum accusans, facile credulo Comiti imposuit. Eoque iracundia Principis processit, ut funditus Renessiorum familiam evertere sibi proposuerit. Mormontium Castellum Renessii proprium, captū, eversumque est: ipse in exi-

lium

lium actus, bona Fisco tradita. His artibus potentiam suam se asserere atque stabilire Wolfardus credidit, revera autem diminuit. Quippe mala consilia, dum occultari nequeunt, tandem auctorem internecioni tradunt. Accedit que ea fatalis plerumque infelicitas, ut vertente Fortunâ, ea etiam, quæ quis bene consuluerit, in pejorem partem trahi soleant. Exarsit identidem gravius Hollandorum Procerum odium, dum consilia illorum, qui Gallicum Comiti fœdus persuadere conabantur, unius auctoritate eludi admodum indi-

gne ferebant, Flandricam Guidonis amicitiam contra Patrum vota præpositam indignabantur. Nondum tamen opportunum tempus Proceribus visum tollendo huic homini, qui cunctorũ cervicibus insultabat. Sequenti anno, qui erat CIↃCCXCVIII, Frisii Occidentales continui belli pertæsi pacem sed iniquissimis conditionibus accepere. Quippe eversis castellis dimidiam partem omnium bonorum, etiam illi qui manu victum quærebant, contribuere jussi sunt. Mirum est homines libertâtis suæ tenaciſſimos

quam-

quamvis extrema Fortuna tales potuisse approbare conditiones. Certe Frisiis Orientalibus ita indignæ visæ sunt, ut facile illos Guilhelmus Antistes Trajectinorum ad bellum capessendum incitaverit. Qui secundo vento provecti, classe suâ prope opidum Monachodamum constiterunt: sed à Kenemariis ac Waterlandis, mox etiam à nostris, in Australi freto ad internecionem redacti, plurimi vinculis traditi. Ad pacis conditiones redactus antistes, mox eadem perfide rupit. Itaque Trajecti obsidionem Comes in ani-

mum induxit. Verum Iſelſteinii caſtellum, quod Giſberto Amſtelio proprium erat, cum impedimento eſſe videretur, pro tempore Comes ſibi concedi poſtulavit. Quod cum negatum eſſet, omnis belli vis eo coacta eſt. Neque diuturna expectabatur obſidio Amſtelio capto. Sed unius mulieris audacia diu violentiam noſtram contudit. Bertrada Toparchæ uxor ducis munia ſubiit, & præſidiarios milites, quamvis jam ultima imminerent, virtute ſua in officio continuit, vel quod muliebre imperium fortitudinem acueret,

cueret, vel quod animi præſentia à fœmina vinci turpe exiſtimarent. Cumque Comes extrema belli minaretur, niſi deditionem properaret, dextera non verbis pugnandum, impertertite reſpondit. Verum cum mox res ad incitas redigerentur, & ſalutem Præſidiariorum deprecaretur Bertrada, non admiſſæ preces. Deditio tandem ea conditione facta, ut dimidia pars cuſtodum ferro cervicem præberet. Iſelſteinium à Comite Wolfardo dono traditum. Neque in eo liberalitas Principis ſubſtitit, ſed & alia

beneficia concumulavit. Benſcopium totuſque tractus Woerdanus eidem ceſſit. Quâ occaſione firmandæ potentiæ arcem Wordanam conſtruxit. Eadem tempeſtate ſecuti ſunt difficiles admodum inteſtini motus. Dum enim Dordrechtani acrius avitam libertatem atque immunitates tuentur, commotior Comes Wolfardi inſtinctu iis bellum indixit. Cognitionem de captivis ſibi contra leges arrogaverat Comes. Dordrechtanorum Proceres tabulas Wilhelmi ſecundi, Romanorum Regis, aliorumque Comitum,

tum, oſtentabant. Hinc ſimultatum faces & incendia. Exacerbavit eorundem animos legatorum improba violatio, quos in carcerem VVolfardus iracundiæ impotens compegerat. Ita ad arma ventum, circumſeptiſque fluminibus princeps Hollandorum urbs obſidione preſſa eſt. Quamdum intempeſtâ nocte miles Comitis aggreditur, à civibus repulſus vix incolumis caſtra penetravit. Interea quotidie Hollandorum odium atque invidiam creſcere VVolfardus animadvertebat, & Comite abducto, in Zelandiam ſe-

cedere tutius existimabat. Iamque nave conscensa altum petierat, cum adeo venti sedêre, ut nulla aura navium vela impleret. Nautarum itaque ministri remis insecuti, illum reduxere. Qui ubi portum intrarunt, tanta fuit civium indignatio, ut, nisi præsentia atque vultus Comitis restitisset, evestigio civium manibus VVolfardus discerptus fuisset. Delfensium magistratus carceri quidem primo eum mancipavit, sed cum inquieta multitudo supplicium differri intellexissent, præsentemque seditionem cuncta referrent, tradi-

traditione VVolfardi ferocientem populum delinivit. Neque vero idem populus legitimum ſupplicium expectavit, ſed ſibi ſumpſit. VVolfardus enim ex ſuperiore carceris feneſtra fune dimiſſus, nullis non contumeliis atque vulneribus confoſſus, animam exhalavit, & *nihil niſi ludibrium ſui iratæ plebi* reliquit. O lubricam Fortunæ aleam! Qui modo ſupremę dignitatis faſtigio horrore quodam etiam potentiſſimos quoſque percuſſerat, nunc abjectus etiam ab infimis conculcatur. Sæpe mortales proprium gladiũ ſuo

ſuo jugulo impoſuerunt, atque ipſi adeo ſuo conſilio perierunt. Multos ambitio præcipites ex honorum culmine dejecit, plurimos congeſta pecunia veluti ſtrangulavit, nonnullos ipſa ingenii vis atque torrens dicendi copia perdidit. Inſultaverat hactenus defuncto intemperanter plebes, neque minus grata procetibus illa cædes : cum Patrum conſilio Avenionem, quem hujus cædis auctorem fuiſſe Mejerus tradidit, Comes ad tutelam vocavit. Cujus inſtinctu Iſelſteinium, VVoerda, quæque alia Comitis liberalitas

VVol-

VVolfardo conceſſerat, iterum hęredibus tanquam indignis ablata. Accinxit ſe dein ad Gallicum iter Hannonius propediem rediturus: fatalis autem Comitis hora, qui ex alvi tortura occubuiſſe fertur, publicũ luctum induxit. Poſt cujus mortem Eliſabetha vidua in Angliam redux Herefordiæ & Eſſexiæ Comiti nupta numeroſa prole fœcunda fuit. Tradidere nonnulli, ſed forſan Hannonii inimici, Comitem Avenionis opera veneno ſublatum. Quicquid eſt, multum profecto commodi Comitis intempeſtivus obitus,

tus, nullo existente hærede, Avenioni attulit. Imperii enim Hollandici summa ad Hannonium, utpote ex sorore Guilhelmi regis ortum, jure devoluta est. Hannonii iidem eruditis existimantur, qui Nervii Iulio Cæsari vocantur. Ipsa regio ab Hayna fluvio, qui mediam secat, originem trahit. Gens libertati addicta, nullius patrocinium se agnoscere nisi Dei & Solis, sua lingua jactare solet. Antiquissima Comitis Reginardi, qui à crassitie colli cognomen habet, in Annalibus mentio. Nobilissima Avenionensis

nensis familia & Princeps eo tractu habita. Cui familiæ cum per longam temporum seriem illa Provincia hæreditaria fuerit, tandem ad Ioannem etiam *Hollandiæ* Comitatus insignia, uti modo monui, pervenerunt. Interea temporis, dum Comes expectatur, *turbarum faces conjurati accendunt. Gisbertus* Amstelius *Amstelodamum* vallo cingere & munire agrestium manu instituit. Verum à Kenemariis facile oppressus, fuga saluti suæ consuluit. Adventu Avenionis seditiones sopitæ videbantur, nisi Ioannes Re-

Reneſſius, perduellionis olim condemnatus grave & periculoſum Comiti bellum indixiſſet. Exiguæ illi vires, niſi primæ Nobilitatis fulcro ſubnixus fuiſſet. Eo tandem audaciæ perventum, ut Scouwanam inſulam fœde incendiis vaſtaret, denique VValachriã occuparet. Quin & ipſa Fortuna Comiti reluctari videbatur. Dum enim miles VValachriæ litus radit, & inſultum in hoſtem meditatur, tanta repente tonitruum & fulminum tempeſtas mari incubuit, ut difficile admodum naves repeterentur. Vix Comes in-

co-

columis Middelburgũ pervenit. Guido frater evadere non potuit, dum graviſſimam procellam tanta ſecuta eſt ventorum ſurditas, ut æquor nulla aura agitaretur. Ita facile majores naves, ſubſidente vento, & à ſuis relictę hoſtium injuriæ patuerunt. In captivos omni exquiſita crudelitate ſævitum, niſi quod dignitas Guidonis, tormentis eum exemerit. Cum autem utrinque majores quotidie belli apparatus conſummarentur, interceſſione Galliarum Regis Caroli, ejus arbitrio tota cauſa ſubjecta. Major utique ſtatim favor.

Regis in Comitem apparuit, ſive quod juſtitiam cauſæ approbaret, ſive quod Principum intereſt, majeſtatem ſuperiorum ſartam rectamque conſervari. Vidit hoc Reneſſius, & juramenti acti pœnituit, quod totam cauſam Regi tradidiſſet. Sed neque ſatis virium rupto jurejurando adverſus Gallorum Regis potentiam. Ad Alberti itaque Cæſaris opem confugit, eo colore, quod imperio iterum Romano, emortua Comitum familia, Comitatus Hollandiæ jure cederet. Exaggerabantur itidem Hannonii apud Cæſarem crimi-

crimina, ſuſpicioque extincti veneno Comitis augebatur. Perſuaſus Imperator ad arma ſe accinxit, & ſtipatus Germaniæ aliquot Principibus Noviomagum uſque contendit: cui magnis copiis occurrit Comes, publiceque nihil juris in Hollandos liberam gentem Cæſari eſſe aſſeruit. Albertum tantus terror invaſit, ut de fuga cogitaverit, niſi ope Colonienſis utrinque fœdus ictum fuiſſet. Nequaquam veriſimile, Clientelæ juramentum Imperatori præſtitiſſe Comitem, ut nonnulli tradunt. Quid de libertate Hollan-

dorum Avenionenſis pronunciaverit, ſupra monuimus. Dein, cum Albertus prior fœderis conditiones petierit, quis credat ita abjecti animi Comitem noſtrum fuiſſe, ut obſequio novo ſe Imperatori ſubjecerit? Percuſſo fœdere, Reneſſii conatus in ventos abierunt, ipſe Zelandiâ, in quo victoriæ momentum conſiſtebat, à noſtris prohibitus, qui Leccæ fluminis oſtium Mervamque claſſe obſederant. Sed hoſtis ſpe fruſtratus, Schoonhoviani Toparchæ opera ipsâ Hollandiam aggreditur; prudentia autem Comitis, noſtro-

ſtrorumq; fortitudine, non difficulter pulſus eſt. Occaſio hinc Ioanni Oſtervandio nata Zelandiam iterum ſibi vindicandi. Arce Baaſdorpia occupata, milite præſidiario occiſo, tota admodum Walachria ad meliores partes tranſiit. Nominiſque horror & veneratio ſuffecit Comitis filio ad Bevelandiæ deditionem. Iamque adeo & Scouwana Inſula victori ceſſerat, cum iterum Bevelandiam Reneſſius invadit, oppidumque Goeſæ milite cingit. Idem impatiens moræ, atque ex longiori obſidione indignationis æſtu fervens,

ad vicinos agros depopulandos militem dispergit: quo non infima clade in fugam acto, dolo tamen, cum virtute non posset, Goesam ad deditionem hostis reduxit. Simulatâ quippe victoriâ, captivaque signa ficte ostentans, primo nostris terrorem incussit, mox etiam ad traditionem urbis impulit. Quo intellecto Comes pleno iracundiæ impetu concitatus, eo usque hostem fatigavit, ut Brabantia fugitivos excipere debuerit. Secuta mox iterum magna belli moles Trajectinos, & veluti ex vicinia ignis etiam Hollandos

dos preſſit. Guilhelmus Mechlinienſis Trajectinus Antiſtes Nobilium quorundam factione, inter quos primi Hubertus Vianæ, Zuederus Montfortii Domini, Cathedra exutus, Monaſterienſes & Tranſiſulanos ad urbem obſidendam coëgerat, & ſimul Hollandum eodem bello involverat, vel quod ſibi adverſum cerneret, vel quod Amſtelium VVoerdanumque tractum ſedi ſuæ deberi exiſtimaret. Ubi prælii primo copia facta, magna utrinque virtute decertatum eſt, jamque noſtra acies inclinaverat, niſi Mont-

fortius ſuccurriſſet: ita metu hoſte conſternato, tanta noſtris fiducia acceſſit, ut Victoriæ tuba ſubito ab hoſtium partibus ad noſtras deflexiſſe videretur. Ipſe Antiſtes, ubi ſuos in periculo fugæ verſari vidit, ſtitiſſe atque perturbaſſe noſtram aciem interjecto corpore legitur. Quæ ſumma audacia cum ſemel iterumque profuiſſet, perterritis religione mortalibus, ultimo capite vulneratus temeritatis ſuæ certam pœnam dedit, ipſoque Sancti Martini die vitam cum morte commutavit. Cujus fatum ſecuta nova de ſucceſ-

ceſſore contentio. Comes fratrem Guidonem urgebat, Rudolphum VValdeccenſem alii obnixe commendabant. Guidoni quoque Comes Amſteliam regionem & VVordanum tractū fiduciario jure conceſſit. Hic Amſtelodamum à Kenemariis antea vaſtatum, reſtauravit, multiſque immunitatibus & privilegiis liberaliter auxit. Sed vicit Avenionis auctoritas, reliquoſque aliter ſentientes ſuperavit. His peractis traditâ majori filio Hollandiâ, Guilhelmo Zelandiâ, quietis cupidus Hannoniam petiit. Sed publicam

tranquillitatem inter Flandrum atque Philippum Gallorum regem difficilis de Flandriæ provincia contentio, cui Hannonii gener Atrebatenſium Comes etiam ſe involverat, fregit. Acceſſere ſub imperio Oſterbandii Hannoniorum itidem auxilia. Prope Curtracum utrinque exercitus aciem inſtruxit, diviſitque ordines. Libertatis ſtimulus Flandros adeo accendit, ut juramento ſibi victoriam ſpoponderint. Neque Gallorum ſpiritus inferior, ſed vix intra limites ſuos ſe continebat. Ubi tubæ cecinerunt, addituſque clamor

Digitized by Google

mor militaris, ſinguli ardore abripiebantur. Utrinque diu fortiter dimicatum eſt. Sed tandem, cum primus Gallorum impetus evanuiſſet, Oſterbandio cum Atrebate occiſo, Flandrorum ſuperat manus, & ferientium telis obruuntur fugitivi. Indigne Flander tulit *Oſterbandii auxilia, cui injuriæ vindicandæ* Hannoniam invadit. Avenioni non ſatis erat ad reſiſtendum virium, ab Hollandis auxilia poſtulata non defuerunt. Verum ea melior militandi ratio Proceribus ſedit, ut Hollandi ipſam in Flandriã irrumperent,

rent, quo relictâ Hannoniâ propria defendere Flandri cogerentur. Guido in Catzandiâ militem ſuum cogit, unde facilis & opportunus in Zelandiam appulſus. Sed prævaluit noſtrorum virtus. Gulielmus enim trajecto freto acri certamine Flandros Catzandiâ ejecit, atque Arnemudam reverſus victor per ora cunctorum volitabat. Plurimum utique momenti in perſecutione victoriæ fuiſſet. Sed proditorum conſilio, qui rudem adhuc Iuvenis animum occuparant, militem dimiſit, quem mox revocavit, nunciato hoſtem

in

in propinquo esse, & Walachriam cogitare. Iamque in conspectu hostis. Ventumque fuisset ad prælium, nisi venti nimia clementia impediisset, & proditores malignis artibus Osterbandii, quem titulum mortuo fratre Guilielmus usurpabat, fortitudinẽ suspectam credulo militi fecissent. Qui ubi Veria conjuratorum manibus tradita, primo divisionem exercitus Gulielmo persuasere, ne cæsis copiis milite vacua Zelandia foret, revera autem ut certâ victoriâ hostis potiretur, & nudum remigio latus inimicorum potentiæ pateret.

Ita

Ita cum ad prælium ventũ atque iniquiore loco noſtri pugnarent, accedente proditione, multi noſtrûm paſſim à ſociis hoſtibuſque cæſi. Quin & ipſe pauco milite ſtipatus Gulielmus Arnemudæ oppreſſus, vix incolumis Middelburgũ pervenit. Quam itidem civitatem conceſſa Comiti Oſterbandio itineris quocunque vellet ſecuritate, Flander occupavit. Ita tota Walachria eidem ceſſit. Acriter mox obſidionem toleravit Zirizea, quæ fugitivum Gulielmum receperat. Neque Hollandorum ſtatim prompta auxilia,

lia, niſi Comitis ex Hannonia adventus pondus addidiſſet. Iamque hoſtis portis imminebat, cum à noſtris pauco milite in fugam redactus, partim ferro, partim aquis miſere occubuit. Mille quingentos occiſos Annales teſtantur. Guido dum infra animi magnitudinem eſſe exiſtimat, unius urbis obſidione virtutem ſuam frangi, expeditionem in Hollandiam cogitabat, ſed eam induciæ mox compoſitæ impediverunt. Verum eæ audito Comitis morbo, & in Hannoniam diſceſſu, iterum ruptæ, ſubitoq; majori alacritate bellum

tranquillitatem inter Flandrum atque Philippum Gallorum regem difficilis de Flandriæ provincia contentio, cui Hannonii gener Atrebatensium Comes etiam se involverat, fregit. Accessere sub imperio Osterbandii Hannoniorum itidem auxilia. Prope Curtracum utrinque exercitus aciem instruxit, divisitque ordines. Libertatis stimulus Flandros adeo accendit, ut juramento sibi victoriam spoponderint. Neque Gallorum spiritus inferior, sed vix intra limites suos se continebat. Ubi tubæ cecinerunt, additusque clamor

Digitized by Google

mor militaris, ſinguli ardore abripiebantur. Utrinque diu fortiter dimicatum eſt. Sed tandem, cum primus Gallorum impetus evanuiſſet, Oſterbandio cum Atrebate occiſo, Flandrorum ſuperat manus, & ferientium telis obruuntur fugitivi. Indigne Flander tulit Oſterbandii auxilia, cui injuriæ vindicandæ Hannoniam invadit. Avenioni non ſatis erat ad reſiſtendum virium, ab Hollandis auxilia poſtulata non defuerunt. Verum ea melior militandi ratio Proceribus ſedit, ut Hollandi ipſam in Flandriã irrumperent,

rent, quo relictâ Hannoniâ propria defendere Flandri cogerentur. Guido in Catzandiâ militem ſuum cogit, unde facilis & opportunus in Zelandiam appulſus. Sed prævaluit noſtrorum virtus. Gulielmus enim trajecto freto acri certamine Flandros Catzandiâ ejecit, atque Arnemudam reverſus victor per ora cunctorum volitabat. Plurimum utique momenti in perſecutione victoriæ fuiſſet. Sed proditorum conſilio, qui rudem adhuc Iuvenis animum occuparant, militem dimiſit, quem mox revocavit, nunciato hoſtem

in

in propinquo esse, & Walachriam cogitare. Iamque in conspectu hostis. Ventumque fuisset ad prælium, nisi venti nimia clementia impediisset, & proditores malignis artibus Osterbandii, quem titulum mortuo fratre Guilielmus usurpabat, fortitudinẽ suspectam credulo militi fecissent. Qui ubi Veria conjuratorum manibus tradita, primo divisionem exercitus Gulielmo persuasere, ne cæsis copiis milite vacua Zelandia foret, revera autem ut certâ victoriâ hostis potiretur, & nudum remigio latus inimicorum potentiæ pateret.

Ita

Ita cum ad prælium ventũ atque iniquiore loco noſtri pugnarent, accedente proditione, multi noſtrûm paſſim à ſociis hoſtibuſque cæſi. Quin & ipſe pauco milite ſtipatus Gulielmus Arnemudæ oppreſſus, vix incolumis Middelburgũ pervenit. Quam itidem civitatem conceſſa Comiti Oſterbandio itineris quocunque vellet ſecuritate, Flander occupavit. Ita tota Walachria eidem ceſſit. Acriter mox obſidionem toleravit Zirizea, quæ fugitivum Gulielmum receperat. Neque Hollandorum ſtatim prompta auxilia,

lia, niſi Comitis ex Hannonia adventus pondus addidiſſet. Iamque hoſtis portis imminebat, cum à noſtris pauco milite in fugam redactus, partim ferro, partim aquis miſere occubuit. Mille quingentos occiſos Annales teſtantur. Guido dum infra animi magnitudinem eſſe exiſtimat, unius urbis obſidione virtutem ſuam frangi, expeditionem in Hollandiam cogitabat, ſed eam induciæ mox compoſitæ impediverunt. Verum eæ audito Comitis morbo, & in Hannoniam diſceſſu, iterum ruptæ, ſubitoq; majori alacritate bellum

lum recruduit. Zirizeani etiam hoſtem tentare auſi, plurimos ad internecionem cecîdere. Acceſſere mox Comitis & Trajectini Antiſtitis auxilia, quæ tantum animi addidere, ut copias ſuas in ipſam Duvelandiam, conjuratorum receptaculum, Gulielmus dimiſerit. Sed nox intempeſta, ſubituſque tubarum clangor, viarum ignaris tantum ſubito metum incuſſit, ut maxima noſtrorum clades inſecuta vires noſtras multum enervarit. In univerſum tria millia tam aquis quam ferro perierunt. Oſtervandius vix evaſit. Antiſtes Guido

Guido in manus hoſtium dilapſus. Tanta victoria tumidus Flander, ſeptentrionalem Hollandiam invadit, occupat. Sola Harlemum legitimi Principis obſequium retinuit. Eâ belli mole impeditum Hollandum Dux quoque Brabantiæ laceſſere incepit, Auſtralem Hollandiam ſibi deberi prætendens. Agnovitque univerſa Dominum, excepta principe civitate Dordrechto. Cujus fortiſſimi cives Brabantum toto meridionali tractu exturbarunt. Nicolaus itidē Puttenus Flandrorum copias prope Iſelmondam ita

cecîdit, ut ab eo tempore Flandrorum res attritę, priſtinæ libertatis memoriam Batavis iterum inſpiraverint. Primi omnium Delphenſes pro Comite conſilia cepere, ſed occulte. Leidenſes memorabili facinore nocte urbem Goudam ingreſſi obſides carcere liberarunt. Et ne paucitas illorum contĕneretur, ante exortum ſolis iterum muros tranſgreſſi in urbĕ ſuam ſe receperunt. Neque minus fortiter Witto Haemſtedius ſeptentrionem debellavit. Atrox & cruenta admodum pugna, eo in loco, qui hodieque in perpe-

petuam rei memoriam non procul ab Harlemo Virorum ſemita appellatur. Fugam Flandrorum ſecuta cunctarum fere urbium deditio. Itaque Guido Narmurcæus in Zelandiam ſe proripuit, atque iterum Zirizeæ machinas & tormenta admovet. Sed eadem in *civibus fortitudo, quæ antea, emicuit.* Noſtrorum vires attritæ auxilia Regis Galliarum petierant. verum ea cum tardius advenirent, ad extremam neceſſitatem fideliſſima urbs venerat. Interea noctes atque dies machinis mænia urbis concutie-

bantur, continuis vigiliis cives fatigabantur: prœliis quoque acerrimis, quibus de ſalute propriâ agebatur, non ſemel oppreſſi, tanta vi imminentem hoſtem abegerant, ut ipſa arma muliebris furor miniſtraret. Accedebat annonæ penuria, quæ ferro gravius urget, dum negatum venis alimentum extrema quæque ſuadet. Tandem vero Gallica claſſis Duce Renerio Genuenſi, præfecto maris, noſtræ juncta Flandris certaminis indixit neceſſitatem. In quatuor Gallicas naves, quæ in vado hærebant, incendiaria navigia

ab

ab hoſte immiſſa, ſed ea mutato vento maximum ſuis incendii impoſuere periculum. Anceps dein & grave certamen utrumque exercuit, neque unquam alias majori ardore pugnatum, ſed tandem victæ fugatæque hoſtium rates, ipſe Guido captivus in Galliam delatus eſt. Hoc certamine navali millia decē cecidiſſe, præter magnum captivorum numerum, mille & centum naves in poteſtatem redactas Annales teſtantur. Liberationem Zirizeæ ſecuta mox tota fere Zelandia. Reneſſius conjuratorum primus, qui Traje-

jectum aufugerat, parum urbi fidens dum ſubverſa cymba in torrentem fluminis excutitur, cum plurimis aliis undis ſubmerſus eſt. Ubi hæc maxima victoria filii ad Hannonium pervenit, ex nimio atque repentino gaudio in graviſſimum morbum incidit, qui poſtea illi fatalis fuit. Et ſecutus Philippinæ Lutzenburgii filiæ, Gulielmi matris, obitus, mærorem auxit. Quibus juſta exequiarum Valentiæ Hannoniæ primario oppido perſoluta ſunt. Ita ad Gulielmum Bonum Hollandiæ Comitatus jure ſucceſſionis pervenit. Agebatur

batur jam annus milleſimus trecenteſimus quintus, cum Comes nuptiali vinculo ſibi copulavit Iohannam Caroli Valeſii filiã, Philippi Pulchri regis Galliarum neptem. Robertus autem Flandrorum Comes (Guido enim jam ante Compendii vitam obierat,) iterum in arma contra Hollandos erupit. Antiquum odium ſatis pro cauſa fuit. Sed illud in ipſo cinere utrinque per delegatos extinctum. Poſt biennium Henricus Lucenburgenſis, Comitis avunculus imperii coronam accepit. Quo ubi Guilhelmus augendæ pom-

pæ profectus eſſet, inter Hollandos Friſioſque contentiones ortæ. Non tamen publica arma, ſed privata fuere. Ex præda enim abacta, atque incendiis utrinque vindicta exarſit. Interea in Hannoniæ finibus ob Leſſiniæ arcem magno molimine Flander bellum movet. Neque tanto robori æqualis Comitis apparatus. Fœdæ hinc tranſactæ conditiones contra Zelandicarum inſularum libertatem. Sed facile ab Ordinibus repulſæ, quorum neceſſarius conſenſus adhibitus non erat. Anno decimo tertio ſupra milleſimum

mum trecenteſimum Henricus VII Imperator Comitis noſtri avunculus horrendo monachi facinore, dum ſacra Euchariſtia utitur, veneno interiit. Pulvis enim adamantinus immixtus calici, & ex potu ſubitò per venas diſperſus, inevitabile fatum attulit. O ſcelus *infandum*, *inauditum*! *Ubi per Deum immortalem pocula ſecura erunt*, ſi in ſacris diſcrimen vitæ imminet? Quonam ſupremi numinis horror & veneratio abiit, ſi ipſe divinus ſanguis, ſymbolum æternæ noſtræ ſalutis, veneno infectus mortem appro-

peret, qui cunctorum fatalem æternamque mortem à cervicibus ægrorum mortalium diſpulit? Sed neque huic juſtiſſima Dei vindicta pepercit. Vivum enim excoriatum Hiſtorici tradiderunt. Immiſcuit dein ſe bello Gallico contra Flãdros Guilhelmus, & Scaldim tranſgreſſus, obſeſſa & dein relicta Teneramunda, vicina Antwerpiæ loca populatus incendiiſque ferociens domum rediit audito Galliarum regis diſceſſu. Tanta vero pluviarum tempeſtas eo anno terrarum globo incubuit, ut decem continuis menſibus

ſere-

ſerenum cœlũ mortales nõ aſpexerint, ſata & inanes agricolarum labores aquis obruerentur, fames atque peſtilentia infamis totum orbem concuteret. Poſt ea tempora cum Guido Trajectenſium antiſtes ad plures abiiſſet, Amſtelium Woerdanumq; agrum Comes ſibi vindicavit. Renitebantur Trajectini, qui Eccleſiæ deberi affirmabant. Contra Guilhelmus ab eo tempore quo Hermanno Gisbertoque adempta eſſent, Hollandiæ clientelam debere. A Guidone ex donatione fratris poſſeſſa nunc jure hæreditario ad legi-

legitimum iterum dominum devolvi. Continuis dehinc odiis Fridericus & Ludovicus ob imperium certabant; quæ prolixius hic inferere noſtri inſtituti non eſt. In partes Ludovici, qui poſtea Comitis filiam duxit, Gulielmus abiit, & Antiſtiti Colonienſi, qui diverſas ſequebatur, armata manu imminebat, donec cum Colonienſe induciæ pactæ ſunt. Reſtitutus quoque Reinaldus Geldriæ Comes, quem carceri neglecto jure ſanguinis filius mancipaverat, imperio. Sed iterum ſub prætextu male ſanæ mentis ejectus capti-

captivitati traditus eſt. Inſeruit quoque ſe Anglicis diſſidiis inter Eduardum & Iſabellam reginam Comes noſter. Totam Angliam regis ſocordia Spenſerii novi homines, ſed ambitioſi & inquieti concutiebant. Ad quos è medio tollendos irarum impotens regina *nihil penſi habuit.* Primo Galliam, *inde* Hannoniam petiit. Ubi magnifice Valentianis excepta, inter Principem Walliæ filium ſuum & Philippam Gulielmi filiam conjugium firmavit, novâque affinitate ſibi Comitem devinxit. Cujus auxilio bellum graviſſimum

mum confecit, Spenſerios crudeli ſupplicio multavit, regem carceri incluſit. Supremus Procerũ conſeſſus imparem imperio Eduardum judicavit, filiumque ſubſtituit. Circa ea tempora Ludovicus Italiam cogitabat, tum ut coronam acciperet, tum etiam ut violentiam Gibellinorum contunderet. Cui cum ſe ſocium itineris Gulielmus prębet, auctoritate Pontificis retentus in Galliam profectus. Ubi ſe bello Gallico contra Flandros, qui Ludovicum Comitem expulerant, immiſcuit. Quinimmo maximæ victoriæ tro-

trophæum de rebellibus, jure ſuo fortitudini Gulielmi tributum. Enimvero Gallum populationibus fatigatum, tanta vi Flandri aggreſſi, ut ſuſtinendo impetui impares in turpiſſimam fugam cuncti ſe projicerent, & ad internecionem cæſi fuiſſent, niſi infractaHollandorum corpora Gulielmus hoſti objeciſſet, & aliquamdiu aciem ſtitiſſet, donec Galli fuga diſſipati iterum ſe ſuis ordinibus ingererent, & victoriam Flandro extorquerent. Interea externo bello confecto, in Friſios Comes arma movit, illorum

inſo-

insolentiam solitamq; contumaciam contudit, tributa pendere, fidem jure clientelæ obligare coëgit. Idem dein Guilhelmi Duvenvordii privata contra Trajectinos arma compressit. Manebant quoque altâ mente repostæ spretæ à Brabanto nuptiæ. Sponsalia cum Elisabethâ Guilhelmi filiâ contraxerat Iohannes Brabanti filius, sed iis insuper habitis Regis Gallorum filiam in penates suos induxerat. Eâ tamen mortuâ primis sponsalibus satisfecit, diremptamque amicitiam consarcinavit. Quamvis iterum rupta, cum

cum Comes jure emptionis Heuſdanum territorium ſibi vindicaret, antiquiore autem titulo Brabantus ſe muniret. Eodem tempore fœda tempeſtas Hollandiæ Friſiæque agros demerſit, intergros pagos, armentorum hominumque celebratam multitudinẽ aggeribus ruptis abſorpſit, fulminum quoq; tonitruumque horrenda calamitas terris incubuit. Tandem cum annus ejus ſæculi triceſimus & ſeptimus ageretur, fato conceſſit laudatiſſimus Princeps Guilhelmus, belli paciſque ſummus arbiter, rigidus Iuſtitiæ ſatel-

les. Nam ab eo præfectum meridionalis Hollandiæ ob ereptam ruſtico vaccam capite multatum Annales loquuntur. Sepultus Valentianis maximum ſubditis ſuis deſiderium jure reliquit. Ex Iohanna Caroli Valeſii filia filii tres geniti fuere, Ioannes, VVilhelmus, & Ludovicus, quorum ſolus VVilhelmus virilem ætatem attigit: Filiarum nomina hæc ſunt; Margareta, nupta Imperatori Ludovico IV, Ioanna Iuliacenſis Comes, Philippa Regis Angliæ Eduardi tertii conjux, & Eliſabetha. Succeſſit in imperium Guliel-

lielmus anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſeptimo. Matrimonio ſibi junxit Ioannam Brabantiæ ducis filiam, ex quâ nullam prolem ſuſcepit. Gliſcebat ea tempeſtate bellum inter Anglorum Gallorumq; reges, cui propter Eduardi affinitatem ex neceſſitudine ſanguinis Comes itidem ſe involvit, detrectantibus militiam Hollandis. Idem ſopitis controverſiis, Boruſſis contra Polonos auxilio venit, Regemque Caſimirum ad indignas pacis conditiones redegit. Contra Saracenos pro Rege Hiſpaniarum itidem bellum

movit, atque Algeſiram munitiſſimum opidum occupavit. Hinc ejus virtus quotidie major in animis hominum, quam & pietatis ſtudium devotioniſque ardor, dum religionis cauſa Hieroſolymam petit, plurimum auxit. Quin & Romanum imperium ab Electoribus illi oblatum, cum Ludovicus ſororis maritus illo à Pontifice ejectus eſſet, teſtantur ejus temporis Annales. Sed modeſte idem recuſavit. Exarſit hinc inter Hollandos & Trajectinos bellum. Origo litium incerta, & varie ſcriptoribus tradita. Sunt qui

tra-

tradant bis insigni clade multatos Trajectinos. Urbs undiquaque arcte obsessa, etiam eo magis iracundiam Comitis auxerat, quod in pede ab oppidanis vulneratus esset. Sed adventu Antistitis Arkelii finitum bellum. Quod in Frisios, contumacia nobiles traductum. A quibus insigni temeritate cladem accepimus. Dum enim ab una parte Staveræ opidi Ioannes Hannonius, ab altera Comes paucis stipatus in Frisiorum multitudinem irruit, paucitate nostri circumventi fere usque ad internecionem deleti sunt.

Ipſe Comes vulneribus gravis animam exhalavit. Cujus mortem veluti comites ſecuti plurimi ex primâ nobilitate. Gulielmo caput abſciſſum, ludibrioque militari expoſitum. Repertum mox cadaver, in Floridi Campi monaſterio tumulatũ eſt. Mortuo Comite ſine liberis ad Margaretam ſororẽ, Ludovici Imperatoris uxorẽ, an. MCCCXLVI Comitatus devolutus eſt. Verum illa vix annum præfuerat, cum ad maritum iterum, cui ſacris interdictum erat à Iohanne XXII Pontifice maximo, qui ſummum in Principes imperium

perium agitabat, difficili admodum tempore proficiscitur, commissa imperii cura Gulielmo Bavaro filio, eâ conditione ut quotannis decem millia scutatorum matri persolveret. Ingenium illi facile, Hollandorum moribus plane idoneum, quod juventæ quoque vernans gratia condecorabat. Interea Ludovicus Imperator, cujus inveteratum cum Pontifice flagrabat odium, subito in venatione equo lapsus, dubia suspicione veneni animam expiravit. Pro Ludovico contra Pontificē præstantissimi quique scripto-

res ſtilum acuerunt. Inter quos Guilhelmus Ockam diſcipulus Ioannis Scoti, & Profeſſor Pariſienſis, Marſilius de Menandrino Paduanus, Ioannes de Gauduno, Henricus de Chalhẽ Ludovici Cancellarius, Michaël Ceſenas Generalis Minoritarum. Dantes quoque Aligerius & Franciſcus Petrarcha admirandi ingenii poëtæ à Pontificis in Imperatorem ſuprema poteſtate alieni ſuo jure cenſebantur. Ludovici poſtmodum obitum ſecutum inter Trajectinos Hollandoſque prælium noſtris victoriam eripuit. Vaſtationes

tiones hinc & incendia agrorum utramque partem læserunt. Sed ad inducias æris alieni necessitas, & Iohannis Brabantiæ Ducis, Cliviæ Bellimontiique Comitum auctoritas Antistitem perttraxit. Circa idem tempus Margarita Hollandiæ comitatum filio iterum eripuit. Obtentui habitæ violatæ conditiones. Indigne id tulere Patres, virili jam imperio assueti. Quippe respuunt cuncti mortales mulierum gubernacla, nisi id necessitas vel melioris sexus penuria postulet, suadeatque. Nam & alibi recte Aristoteles dixit, alias

esse viri, alias mulieris virtutes. Imperandi virtus rara vel nulla in fœminis appareret. Neque vis ingenii, neque prudentia, sed temerarius ardor atque inconsulta levitas illum sexum plerunque comitatur. Primo itaque omnes artes ad trahendum devinciendumque populum Margarita admovit, sed frustra. Accendit indignationem Procerum subitus Comitis abitus, dum maxima Hollandorum strage, Oudewatria flammis consumpta, Hollandiæ visceribus incumbit Trajectinus Antistes. Sed externo bello induciis æris penuria sopito,

ſopito, miſerabilis civium animos invaſit rabies, quorum partes Hoexiorum Cabelliaviorumque nomen aſſumpſere. Quamvis enim mox præſentia Comitis ignis extinctus videretur, idem tamen male ſepultus præpropero ejuſdem abitu majori flamma exarſit. Nulla jam amplius inter cives commercia libera, agrorum incendia continua, ſacroſancti penates everſi, excogitatę miſerorum mortes horrorem nemini non incutiebant. Validiores autem Cabelliaviorum vires facile adverſam partem vicere. Quis acceſſere erepto

pto matri imperio primo quidem recuſata mox tamen conceſſa Guilhelmi auxilia. Revera autem Princeps metuiſſe videtur, ne denegata ope alium externum ſubditi Principem quærerent. Cujus adventu conſternati Hoexii ad Margaritę genua ſe provolvunt, & ad commiſerationem indignationi junctam movent. Abrepta iracundiæ œſtro impotens ſui fœmina acerba quæque filio minatur, niſi imperio recederet. Verum nullis ille terrebatur minis; quibus bellum non geritur ſed robore. Utique poteſtate cæterarum civita-

civitatum commotæ Leida & Amſtelodamum, qui ante Houxiorum partes fovebant Gulielmum tandem ſecutæ. Margarita Anglorum regis Eduardi ſubſidiis militem colligit, & in VValachriam vela dirigit. Nonnulli prope Veriam Gulielmum prælio inferiorem fuiſſe aſſerunt, quorum dubia & ſuſpecta fides. Illud conſtat inter Brilam & Graveſandam, ubi Moſa fluvius ampliſſimo oſtio aquas ſuas in Oceanum eructat, ita atrociter utrinque pugnatum fuiſſe, ut nonnulli ſupra fidem memoriæ tradiderint, triduo ſanguino-

len-

lentum Moſam fluxiſſe. Sed nimius Cabelliaviorum ardor, quibus victis nulla ſalutis ſpes reliqua erat, extorſit adverſæ parti victoriam. Qua itidem conſummatum bellum, dum pacis conditione ita initæ, ut ſola Hannonia Margaritæ, reliqua Gulielmo cederent. Atque ita anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo imperium Gulielmus arripuit, & Machtildem ducis Lancaſtriæ filiam penatibus ſuis induxit; ex qua nullam prolem ſuſcepit. Gravia illi cum Trajectino bella; quæ poſtmodum ſopita. Tandem vero intem-

periis

riis atque atrâ bile concitatus in præſentem furorem incidit, adeo ut furibundas manus ſanguine innocentis cujuſdam nobilis, cui Gerardo VVateringano nomen, commaculaverit. Hinc carceri traditus occaſionem litium de adminiſtrando Comitatu præbuit. *Nonnulli Machtildem uxorem Gulielmi ſibi poſtulabant, alii jure ſuo Albertum fratrem furioſi Comitis depoſcebant.* Sed melior ſententia vicit, honeſtaque legatione ad tutelam frater vocatus eſt. Quo fere tempore Margaretam Brigenſis Ducis filiam

liam ſibi matrimonio junxit, ex qua ſeptem liberi nati, inter quos primus Guilhelmus imperii hæres & ſucceſſor. Flagrabant adhuc ingentibus odiis Houxiorum & Cabelliaviorum periculoſæ factiones. Forte Renaldus Bredenrodius ab Alberto præfecturam Kernierlandiæ nactus, Houxiorum animos adeo læſit, ut fata illi præripere in animo habuerint, niſi celeritate equi inſidias effugiſſet. Incitati dein Delfenſes dum Albertus in Zelandia moraretur, Cabelliaviorum agros late populati, Polanam Binchorſtiamque arces

ces demoliti, Hagam contendunt, carceres effringunt, nocentes vinculis ſolvunt. Urbs Delfenſis ab Alberto obſidione preſſa ea conditione incolumitatem pacta, ut muros urbis dejiceret, quadraginta ſcutatorũ millia pœnę loco penderet. Cũ Eduardo duce Geldriæ, mox etiam cum Trajectinis non diuturna interceſſere bella. Decem & novẽ annos Albertus tutelam imperii adminiſtravit. Gulielmo defuncto anno CIↃCCCLXXVII Comes inauguratus eſt. Uxore mortua Margaritam, Adolfi Clivii filiam ſuperinduxit, ex quâ

nulla illi proles nata. Extra matrimonium cum Alitha Poelgestia pellice rem habuerat: quæ ubi occisa, consciis nobilium plurimis, extrema quæque illis Comes minabatur. Quorum crimen dum deprecatur filius, indignationem patris incurrit. Is primo quidem, quo cæteri procerum confugerant, se in Castellum Altenæ recepit, cui diffidens Gallias petiit. Gratia dein criminis, intercedente Ioanne Bavaro, singulis indulta. Gulielmus filius intercedente Carolo Sexto Rege Galliarum facile à patre veniam impetravit.

Etiam

Etiam ingentibus copiis contra Friſios arma ſumpſiſſe Comitem teſtantur Annales. Occaſiones diverſæ à diverſis commemorantur autoribus. Gulielmo Oſtrovantio linteum menſale laceratum fuiſſe, cum in aula Caroli VI Gallorum regis ad menſam forte ſederet, magnoque convicio à Philippo Nivernenſi Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filio objectum fuiſſe teſtantur hiſtorici, quod inſignia non haberet, quæ avunculus illius magnus bello Friſico amiſerat. Impatiens tantæ contumeliæ Gulielmi ſpiritus

autore Alberto in bellum contra Friſios prorupit. Ad c. LXXX millia in armis fuiſſe Annales teſtantur. Victoriaque vetus opprobrium abolitum, cadaver Gulielmi IV Valencenas tranſlatum eſt. Iterum atque iterum rebellibus Friſiis, qui nitebantur Stauriam & Doccumũ occupare, frenum impoſitũ. Contra Iohannem mox Arkelium contumaciæ reum arma ſumpta. Urbe Gorcomienſi Comiti tradita, & Arkelio ad genua Principis veniam delicti poſtulante pax ſtabilita. Albertus autem anno CIↃ CCCC IV fatis

fatis conceſſit, & Hagæ Comitis ſepultus eſt. Adelberto patri Guilhelmus filius ſucceſſit armorum peritia nulli ſecundus, magnus juſtitiæ dictator, & liberalitatis in pauperes publicum exemplar. Ex Mariâ Caroli ſeptimi Galliarum regis filiâ nullam prolem ſuſcepit. qua defuncta, ex Margarita Philippi Audacis Burgundionum Principis filia Iacobam imperii mox hæredem genuit. Neque multo poſt Arkelius Dynaſta, cũ adminiſtrationis ſuæ per decem annos nullas rationes reddidiſſet, rupta pace Worchomium

oppidum occupavit. Cujus admodum facinoris publicam vindictam juncto ſibi Trajectino Epiſcopo Gulielmus ſumpſit. Hageſteinia atque Everſteinia munitæ arces non diu violentiam tulere. Oppidum Gaſpera incenſa tota flammis periit, & in cineribus poſita. Idem fortaſſe fatum Gorcomio incubuiſſet, niſi dux Geltriæ, qui ſe huic bello immiſcebat, & Ioannes Bavarus electus Leodicenſis ad inducias rem perduxiſſet. Magna quoque Ioanni Bavaro cum Leodicenſibus ſimultas, qui contempto hujus principis imperio

perio Theodericum Parvisii dominum Reip. & Ecclesiæ præfecerant. Sed Gulielmus, junctis copiis affinis sui Ioannis Burgundi, Antonii Brabanti, Theoderici Namurcensis rebelles cruento admodum prælio superavit. Privilegia urbis abolita, civibus pœnæ loco grave tributum impositum. Recruduit mox etiam inimicitia inter Renaldum Geldriæ ducem, comitemque nostrum, sed stabili pace extincta, Arkelii dominiis Guilhelmo adjudicatis. Sopitis dissidiis Hannoniam Princeps petiit, neque multo post Na-

turæ ſatisfecit. Succeſſit anno CIↃCCCCXVII unica patris hæres Iacoba. quæ cum dubia Fortunæ alea per totam fere vitam luctata. Ioannem Delphinum Galliæ, Caroli ſexti filium, cum quo primum conjugium præproperum inierat, veneno mox extinctum Annales teſtantur. Annum tum agebat decimum & ſextum, cum in ipſo adoleſcentiæ vernanti flore iterum in nuptias Ioannis Brabanti conſenſit. Sed propinqui ſanguinis neceſſitudo atque aviti religionis ritus impediebant. Iohannes Bavarus Electus Leodienſis

enixe his nuptiis reſiſtebat: Dordracenos in verba ſua, tanquam tutoris Iacobæ, juramento ſe aſtringere coëgit. Cum cæteræ Hollandiæ civitates voto reſiſterent, adjumento Guilhelmi Arkelii Gorichemum occupant, ſed potior viribus Iacoba duce Walravo Brederodio, qui ibi mortalitatis leges implevit, urbem recuperavit. Diſpenſationem interea nuptiarum Pontifex Martinus V indulſerat, ſed quæ auctoritate Sigiſmundi Imperatoris revocata fuit. Ejus rei ignara Iacoba matrimonium Hagæ Comitis con-

ſummavit. Ioannes Bavarus autem majora animo volvens, ſedem Epiſcopalem Pontifici tradidit, & Antonii Ducis Brabantiæ viduam penatibus ſuis induxit. Quinetiam Sigiſmundus Imperator, Comitatus Hollandię inſignia, Ioanni Bavaro, utpote ad quem deficiente meliori ſexu jure proximi ſanguinis revoluta viderentur, conceſſit. Ita vi armata Hollandiam petiit, quamvis refragantibus Patrum pleriſque, qui antiquo jure etiam ad mulieres devolvi imperium Hollandiæ identidem clamitabant. Ioannes

autem

autem Burgundus ita pacem inter utramque partem ſtabilivit, ut Bavarus, ea quæ poſſidebat, jure feudi ſibi retineret. Sed majori molimine ſequenti anno reſumptum bellum. Leidenſes, qui Iacobæ partibus addicti erant, extrema obſidionis experti jugum quoque novi Domini ſubiere. Ioannes Brabantus neceſſitate, ut videtur, adactus, totius regionis curam inſcia conjuge Bavaro tradidit. Hinc graviſſimæ conjugales ſimultates, neque illa quicquam penſi habere, ſtimulante indignatione atque odio, queis ſequior

ſequior ſexus ferventiſſimus eſſe ſolet. Accendebat itidem injuriam per impoſturam male initum matrimonium, atque altius muliebri pectori inhęrebat. Quo colore uſus non expectata Romani Pontificis ſententia, in Angliam profecta ad nuptias Ducis Cloceſtriæ fratris Henrici V Regis Angliæ ſumma levitate animum applicuit. Quo facto exarſit in vindictam prioris mariti animus, cumque defuncto Ioanne Bavaro curam Comitatus Hollandici ſuſcepiſſet, Philippi Ducis Burgundiæ junctis auxiliis

in

in Hannoniam profectus gravibus prœliis inferiorem Iacobam Burgundo tradidit, donec Pontificis ſuper conjugio hoc judicium expectaretur. Verum illa aſtu elapſa veſtimento virili aſſumpto præpropere in Hollandiam aufugit: ubi à nonnullis civitatibus, quæ partes ejus fovebant, ſummo gaudio excepta. Sed plurimæ aliæ urbes Philippum Burgundum ſequebãtur, quem Hollandiæ Ioannes præfecerat. Acre hinc ſecutum prœlium Duce Cloceſtriæ ſuppetias ferente Iacobæ: ſed victoria à partibus Philippi ſtetit. Secu-

Secutâ dein Pontificis ſententiâ, illegitime Iacobam à priore marito divertiſſe, accedente imperio ut Amadeo Duci Sabaudiæ, qui Mariam matris ſuæ ſororem in uxorem duxerat, ſe committeret, donec res ad mutuam concordiam rediiſſet, Hunfridus Gloceſtrius relicta conjuge Eleonorâ Combatriam pulchritudinis eximiæ fœminam matrimoniali ſibi vinculo devinxit. Iacoba autem relicta Harlemenſi obſidione prope Albiniana caſtra dubio diu certamine cum Philippo Burgundo conflixit: ſed victus Leidam

dam se recepit. Illa autem dum ad majora se accingit, Ioannes Brabantus, à quo divortium fecerat, fato concessit. Cujus morte major quoque spes potiundæ Hollandiæ affulsit, sed prælio prope Wiringam victa ita cum Philippo transegit, ut illa plenum dominium, hic vero sibi Hollandiæ tutelam servaret, ipsa vero sine consensu Philippi matrimonio se non daret, absq; prole defunctæ hæres idem ex asse esset. Ita publica quies, per aliquod tempus emicuit, quæ tandem in nova dissidia erupit. Quippe Iacoba libidi-

lrbidinis impatiens novo amori ſe mancipaverat, & Franconi Borſalio, quem præſidem Hollandiæ Philippus conſtituerat, fidem conjugalem pollicita licentius ſe miſcebat. Sicuti autem amor & ignis difficulter admodum occultantur, ita tandem Philippus indignitate facti non parum commotus cuncta reſcivit, & de improviſo Borſalium Rupelmondam in carcerem ablegavit, atque occidi juſſit. Et niſi caſtelli Præfectus à ſanguine tanti viri abhorruiſſet, & callide ſupplicium ſumptum ſimulaſſet, actum proculdubio

bio de Borſalii vita fuiſſet. Philippus homo minime cruentus, uti etiam plerumque repentina & ſanguinaria conſilia pœnitentia ſequitur, etiam illachrymaſſe poſtea extremo huic, ut credebat, ſupplicio fertur. Quem animi dolorem, ubi in vivis eum adhuc eſſe cognovit, ſumma lætitia ſecuta. Quin eo *Philippus* abiit facilitatis, ut matrimonium Borſalii cum Iacoba certis conditionibus ratum haberet. Pactum initum, ut in univerſum ſuo jure illa cederet, Borſalius Comitatum Oſterbandiæ ſibi vindicaret. Si liberis augere-

tur, imperio avito ſuccederent: ſin ſecus, cunctæ regiones ad Philippi Burgundi proximos hæredes devolverentur. Atque ita illa ſine prole mortua ad domum Burgundicam Hannonia, Hollandia, Zelandia, Weſtfriſia pervenit. Et quidem primus Philippus poſt cædem patris multarum regionum potentiſſimus Princeps fuit. Sterile illi matrimonium primo cum Michaëlia Caroli ſexti Gallorum Regis filia, dein cum Claudia Comitis Hoienſis nata. Quibus defunctis ex Eliſabethâ Portugallicâ tres filios ſuſcepit, ex

ex quibus ſuperſtes Carolus Martinus in imperio, ut ſuo loco dicetur, ſucceſſit. Poſt bellorum cum Galliarum rege maximas difficultates, in pacis has conditiones itum eſt, ut ex pacto præter alias regiones etiam Giſenſem ſibi Philippus vindicaret Comitatum. Sed Anglus ex urbe Caleto, quę tum illi obnoxia erat, impediebat. Itaque ad obſidionem ventum, ſed Gandavenſium Brugenſiumque factiones obſtinato tumultu cuncta implebant. Qui invito Principe ab obſidione domum reverſi alios quoque eodem incitarunt.

Acceſſit inauditum Brugenſium facinus, qui, dum Philippus vindictam tanti facinoris moliens per mediam illorum civitatem iter molitur, portis clauſis præcipua nobilitate occiſa vix à Comite manus abſtinuere, niſi ruptis portarum obicibus à fabro ferrario fuga evaſiſſet. Quam injuriam concoquere generoſus ejus ſpiritus nequivit, ſed lenta obſidione urbem, mercatura ea tempeſtate florentiſſimam, ad incitas fere redegit. Ipſum facinus principes conjurationis octodecim ſuo ſanguine expiarunt. Cæteri cives ingenti ære vitam

vitam & gratiam redemerunt. Gandavenſium dein quoque pertinacia domita. Eodem tempore certamen ingens navale inter Hollandos Zelandoſque & Oſterlingos extitiſſe annales patriæ referunt. Cabeliaviorum & Hoexiorum ſurgens iterum factio ſapientia principis extincta. Idem Davidem filium ſuum naturalem, reluctantibus Trajectenſibus, Præſulem urbi ſtatuit, Ludovicum quoque Delfinum ſua auctoritate ad regium Gallorum diadema promovit. Quo fere tempore Comitia Aurei velleris Hagæ Comitis habita.

bita. Nobiliſſimum illud collegium pompa nuptiali Philippi & Iſabellæ regis Portugalliæ filiæ Brugis primo inſtitutum. Ab Iaſone atque fabuloſis Argonautis traxiſſe nomen videtur. Nam & aureis tapetibus intextam illam fabulam fuiſſe, cum feſtus comitiorum dies Hagę perageretur, publica monumenta docent. Tuendæ majorum Religioni, confirmandoque imperio inſtitutum Philippi Epitaphium innuit. Leodienſes interea variis injuriis hæreditarias Comitis regiones affecerant, & Ludovicum Bor-

bo-

bonium Epiſcopali ſede ejecerant. Quibus debellandis Carolus Bellicoſus Comitis filius deſtinatus. Domiti victique rebelles, ſed mox iterum in priſtinam incidere contumaciam. Cujus pœnã nobile tum temporis opidum Dinantum ſenſit. Pars civium occiſi, pars Moſæ vorticibus abrepti. Muri turreſque dirutæ, ipſa urbs flammis fere tota conſumpta. Ita ad pacis conditiones iterum redacti Leodienſes, gratiam Principis obtinuere. Poſt quæ bella Comes optimus, beneficus, moderatus, clemens, pacis bellique artibus

nobilis morbo ſenioque confectus Brugis naturæ ſatisfecit, anno ætatis ſeptuageſimo tertio, ſæculi autem CIↃCCCCLXVIII. Cui ſucceſſit Carolus Martinus, qui Bellicoſi nomen accepit. Ternum illi matrimonium, primum cum Catharinâ Caroli ſeptimi Gallorum Regis filia, ſecundum cum Eliſabethâ Borboniâ, ex qua Maria unica imperii hæres nata, tertium cum Margaritâ filiâ Ducis Eboracenſis Eduardi quarti Anglorum Regis ſorore. Varia illi bella felici ut plurimum fortuna peracta, unde nominis horrorem atque ſui vene-

veneratione latè per Chriſtianum orbem circumfudit. Violentiam ejus Leodienſes ſenſiſſe, ſupra dictum eſt. Cum Ludovico undecimo Gallorum Rege bellum inchoavit, ſed iterum ſopitum. Ducis Warvicenſis ea tempeſtate tanta erat potentia, ut inimicitias conſerere cum Principe noſtro auſus, ſecurum quoque maris iter impediret, naves Hollandicas intercipiperet. Cui negotio dum ſe Eduardus immiſcet, ejectus regno in Hollandiam aufugit. Conglobatis dein viribus Angliam repetens, Warvicenſem multoſque

ejus factionis proceres ad internecionem cecidit, solioque restitutus est. Cum Arnoldus Geldrorum dux, Geldriam Zutphaniamque Carolo vendidisset, præterito rebelli & contumaci filio Adolpho, qui patrem per septennium in vinculis detinuerat, bellum natum. Totam admodum regionem imperio suo Comes adjecit, & à Frederico tertio Imperatore jure clientelæ accepit. Neque vero diuturna cum Cæsare substitit amicitia. Petierat à Cæsare Carolus, ut non Dux amplius, sed Rex Burgundiæ appellaretur. Iamque

que corona, ſceptrum, vexilla, regiæ veſtes paratæ, cum à Cæſare eluſus ſpe excidit. Ea ambitioſo Principi ſumma contumelia viſa. Dum itaque poſtmodum ope Geldrorũ Noveſium Colonienſium opidum arctâ obſidione cingitur, collectis copiis ſuppetias iis tulit Imperator. Sed Pontificis legatus utrinque litem diremit. Difficillima illi & diuturna cum Gallorum Rege bella. Renaldus enim Lotharingus, exercitus Gallici Imperator, bis cruentam reportavit victoriam. Teſtis eſt tantæ ſtragis Helvetiorum opi-

opidum Murathum, atque ædicula occiſorum tenendis oſſibus deſtinata. Etiam Nanceium à Gallis occupatum legimus. Quamdum iterum milite Carolus cingit, acre inter utrunque diu certamen ſtetit, ſed tandem victus, Nicolai Campobaſſi Itali proditione, & paludi cum equo immerſus vitam Deo reddidit, annos natus quadraginta tres. repertum à quærentibus cadaver Nanceum tranſportatum. Gelu quidem facies intumuerat livoréque contraxerat, ita ut difficile niſi à domeſticis agnita fuerit. Tribus confoſſum

fossum fuisse vulneribus uno ad caput secus auaurem, altero ad femora, tertio ad anum memorant Historici. Princeps utique maximus, & cujus virtutes jam diu æternitatis scrinio consecratæ sunt. Iustitiæ quidem severissimus exactor, & belli veluti horrendum *ubique fulmen*, sapientiæ *prudentiæque* publicum exemplar, bonorum amor, improborum vero maximus horror. Pontum itaque Heuterum rerum Burgundicarum insignem Historicum miror, qui atram bilem in eo exuberasse memoriæ tradidit. Illustre

in

in Zelandiæ Præſide exemplum commemorant hiſtorici. Qui dum mulieris maritatæ illicitos ambiebat amores, neque illa caſtitatis ſanctiſſima vincula frangere vellet, inauditum machinatus eſt facinus. Maritum in carceres compingit, proditionis accuſat, mortem indicit. Ibi mulier precibus hominem truculentum fatigare, delicti, ſi quod eſſet, veniam petere. Ille illicitam iterum objecit libidinem, ſi morem gereret, incolumem fore maritum ſpopondit. Mulier diu animi dubia an pudicitiam an maritum potiorem habitu-

habitura eſſet, per vim tandem compreſſa. Rupto conjugali fœdere impletaque impotenti libidine, mariti quoque innocenti ſanguine Præſes ſe maculavit, & horrendum dictu, mulieri maritum velut jure ſuo poſtulanti, cadaver reſtituit. Illa diu animi impos, & cōſternata, primo conſanguineis proximiſque ſcelus aperire, mox etiam apud Comitem accuſare cœpit. Accerſitus Præſes dubiis primo verbis negare, mox ſingula ordine confeſſus, nihil ſpei ſibi reliquum niſi in Principis gratia videbat, & ſe tantum facinus conjugio

gio viduæ expiare velle pro ſe adducebat. Etiam mulier precibus aulicorum in matrimonium conſenſit. Ex pacto dotali hæres illa omnium bonorum ſtatuitur. Neque minus tamen inexpectato Iuſtitiæ rigori conſuluit optimus Princeps. Ablegatum enim Præſidem eodem in loco, quo truculentum illud facinus perpetraverat, capite puniri, truncumque cadaver mulieri offerri juſſit. Qua rei novitate commota, & morbo afflicta, ad plures conceſſit, liberoſque ſuos hæredes omnium Præſidis bonorum reliquit. Plura hic exem-

exempla in medium adducere brevitas hujus operis non permittit. Tribunal illum Mechlinienſe erexiſſe in Annalibus invenio, quin & ipſum Hagæ Comitis in majori atrio aliquoties ſingulis ſeptimanis juſtitiæ præſediſſe memoriæ traditum eſt. Quanto amoris æſtu ſubditi illum proſecuti ſint, fatalis hora docuit. Cui diu fidem non adhibitam, ſed fruſtra, idonei prodidere ſcriptores. Virtutes certe ejus quamdiu conſiſtet Chriſtianus orbis, in omnium admiratione permanebunt. Sola nimia gloriæ vertigo eum abripuit,

& in tranverſum egit. Innatum maximis heroum animis hoc vitium nemini cedere, imperandiq; nimio flagrare impetu. Cui difficile frænum injicere, quia eundo creſcit, nulliſque limitibus coërcetur. Succeſſit tãto Principi Maria unica filia, an. MCCCCLXXVII cujus tutelã Ioannes Clivius geſſit, donec Maximiliano Friderici Tertii Imperatoris filio nupta, Auſtriacæ potentiæ originem dedit. Ægre admodum Ludovicus Gallorum rex ſpretum filii conjugium tulit, injuriæque memor hoſtilia quęque minabatur. Atrebatum hoſtili-

ſtiliter adortus, in urbem admiſſus, fautores Mariæ ſine ullo diſcrimine occidi juſſit, civium bona diripuit, vicinis agris vaſtitatem induxit, Avennas vi captas igni ſubjecit. Etiam mare ſed infeliciter tentatum. Victores enim Hollandi Neptuno jam tum aſſueti, capto Genuenſium immenſo navigio. Ducatum quoque Burgundiæ virili ſtirpe deficiente Picardiamque ſibi vindicare conabatur. In tantum autem ſimultates iterum Hoexiorum & Cabeliaviorum crevere, ut parum abfuerit, quin totam hanc concuterent & loco

moverent Rempublicam. Ipsa Princeps dum hyberno tempore venationi indulget, equo dejecta præceps in terram conjecta, rupta interius costa, apostema sibi contraxit, unde sibi mortem approperavit. Sepulta Brugis maximo omnium præcipue mariti dolore. Ex hoc matrimonio nati Philippus Austriacus, Franciscus, qui infans obiit, & Margareta. Ex quibus Philippus I I imperii hæres non dum quartum ætatis attigerat annum, patremque Maximilianum tutorem accepit. Cujus prudentia factiones Cabeliavio-

liaviorum & Hoexiorum, quæ iterum caput exerebāt, ſopitæ. Geldrorum contumacia in ordinem redacta, Ruremunda & Venloa urbibus Geldriæ occupatis. Diſſidia cum Galliarū Rege ita extincta, ut Ducatus Burgundiæ Regi cederet, Comitatus autem ejuſdem *nominis* cum omnibus *direptis urbibus in Picardia, Arteſia, Hannonia* legitimo domino reſtituerentur. Quis firmādis ſponſalia inter Delphinum & Margaretam Archiducis filiam inita. Verum eluſa à Delphino, cum regni hæres, ad Britanniæ ducem a-

nimum applicuit, matrimonioque ſibi devinxit. Etiam Maximiliano cum Gandavenſibus & Brugenſibus, quorũ contumaces ſpiritus difficile frangebantur, bella fuere. Tantus quippe Brugenſium furor fuit, ut Maximilianum Regẽ tum temporis Romanorũ per novem menſes cuſtodiæ dederint, nobilioribus aulicis in conſpectu Principis ſui capite multatis. Atque adeo ſæviebat ignobile vulgus, ut Cuſpinianus teſtatur, ut extrema quæque Domino intentare viderentur. Imperator Fredericus genitor cum nonnullis imperii Principibus

cipibus XXXII millia militum adduxit, Gandavum obſedit, filium ex faucibus perfidorum Brugenſium eripuit. Etiam Deus immortalis tantam contumaciam jure ultus mare veluti retrocedere à civitate juſſit, atque celeberrimum Imporium ſubito juſtiſſima vindicta deſtituit. Maximilianus poſtmodum emperii Romani Diademate auctus, Belgii curam Philippo filio, qui decimum & ſextum ingreſſus annum erat, reliquit. Hic ex Iohanna Ferdinandi Hiſpaniarum regis filia Carolum V, Ferdinandum Regem

& in tranverſum egit. Innatum maximis heroum animis hoc vitium nemini cedere, imperandiq; nimio flagrare impetu. Cui difficile frænum injicere, quia eundo creſcit, nulliſque limitibus coërcetur. Succeſſit tãto Principi Maria unica filia, an. MCCCCLXXVII cujus tutelã Ioannes Clivius geſſit, donec Maximiliano Friderici Tertii Imperatoris filio nupta, Auſtriacæ potentiæ originem dedit. Ægre admodum Ludovicus Gallorum rex ſpretum filii conjugium tulit, injuriæque memor hoſtilia quęque minabatur. Atrebatum hoſtili-

ſtiliter adortus, in urbem admiſſus, fautores Mariæ ſine ullo diſcrimine occidi juſſit, civium bona diripuit, vicinis agris vaſtitatem induxit, Avennas vi captas igni ſubjecit. Etiam mare ſed infeliciter tentatum. Victores enim Hollandi Neptuno jam tum aſſueti, capto Genuenſium immenſo navigio. Ducatum quoque Burgundiæ virili ſtirpe deficiente Picardiamque ſibi vindicare conabatur. In tantum autem ſimultates iterum Hoexiorum & Cabeliaviorum crevere, ut parum abfuerit, quin totam hanc concuterent & loco

moverent Rempublicam. Ipsa Princeps dum hyberno tempore venationi indulget, equo dejecta præceps in terram conjecta, rupta interius costa, apostema sibi contraxit, unde sibi mortem approperavit. Sepulta Brugis maximo omnium præcipue mariti dolore. Ex hoc matrimonio nati Philippus Austriacus, Franciscus, qui infans obiit, & Margareta. Ex quibus Philippus 11 imperii hæres non dum quartum ætatis attigerat annum, patremque Maximilianum tutorem accepit. Cujus prudentia factiones Cabeliavio-

liaviorum & Hoexiorum, quæ iterum caput exerebāt, ſopitæ. Geldrorum contumacia in ordinem redacta, Ruremunda & Venloa urbibus Geldriæ occupatis. Diſſidia cum Galliarū Rege ita extincta, ut Ducatus Burgundiæ Regi cederet, Comitatus autem ejuſdem nominis cum omnibus direptis urbibus in Picardia, Arteſia, Hannonia legitimo domino reſtituerentur. Quis firmādis ſponſalia inter Delphinum & Margaretam Archiducis filiam inita. Verum eluſa à Delphino, cum regni hæres, ad Britanniæ ducem a-

nimum applicuit, matrimonioque ſibi devinxit. Etiam Maximiliano cum Gandavenſibus & Brugenſibus, quorũ contumaces ſpiritus difficile frangebantur, bella fuere. Tantus quippe Brugenſium furor fuit, ut Maximilianum Regẽ tum temporis Romanorũ per novem menſes cuſtodiæ dederint, nobilioribus aulicis in conſpectu Principis ſui capite multatis. Atque adeo ſæviebat ignobile vulgus, ut Cuſpinianus teſtatur, ut extrema quæque Domino intentare viderentũr. Imperator Fredericus genitor cum nonnullis imperii Principibus

cipibus XXXII millia militum adduxit, Gandavum obsedit, filium ex faucibus perfidorum Brugensium eripuit. Etiam Deus immortalis tantam contumaciam jure ultus mare veluti retrocedere à civitate jussit, atque celeberrimum Imporium subito justissima vindicta destituit. Maximilianus postmodum emperii Romani Diademate auctus, Belgii curam Philippo filio, qui decimum & sextum ingressus annum erat, reliquit. Hic ex Iohanna Ferdinandi Hispaniarum regis filia Carolum V, Ferdinandum Regem

Hungariæ, Bohemiæque, & filias quatuor Eleonoram, Eliſabetham, Mariam, & Catharinam, quæ ſummis poſtmodum Europæ Principibus nupſerunt, ſuſcepit, & morte Ioannis Caſtilienſis, qui frater Iohannæ erat, diverſa ad eum regna devoluta ſunt. Princeps utique pacatus, divitiis pollens multiſque virtutibus decorus. Burgi, quæ civitas Granatę eſt, extremũ diẽ obiit an. MDVI Cui Carolus V vix ſexennis hæres deſtinatus, moderante Belgium Margareta amita. Ubi autem pubertatis annos attigit, ſolenni ritu tota fere

re Belgica Dominum agnovit. Validoleti dein incredibili ſplendore paterna regna hæres accepit. Morte Maximiliani Imperatoris avi ſui communi Electorum voto Romanum adeptus imperium. Cujus abitum in Germaniam Hiſpani[illegible] ſecuta rebellio. Occaſio Gulielmi Croii Chievrii, quem pro Rege Hiſpaniæ Carolus præfecerat, inſolens, uti ferebant, imperium. Revera homini externo invidere tantum potentiam indigenæ Proceres. Factionis Princeps Petrus Gironius præcipua nixus nobilitate, qui ſub co-

moverent Rempublicam. Ipſa Princeps dum hyberno tempore venationi indulget, equo dejecta præceps in terram conjecta, rupta interius coſta, apoſtema ſibi contraxit, unde ſibi mortem approperavit. Sepulta Brugis maximo omnium præcipue mariti dolore. Ex hoc matrimonio nati Philippus Auſtriacus, Franciſcus, qui infans obiit, & Margareta. Ex quibus Philippus I I imperii hæres non dum quartum ætatis attigerat annum, patremque Maximilianum tutorem accepit. Cujus prudentia factiones Cabeliavio-

liaviorum & Hoexiorum, quæ iterum caput exerebāt, ſopitæ. Geldrorum contumacia in ordinem redacta, Ruremunda & Venloa urbibus Geldriæ occupatis. Diſſidia cum Galliarū Rege ita extincta, ut Ducatus Burgundiæ Regi cederet, Comitatus autem ejuſdem *nominis* cum omnibus direptis *urbibus* in *Picardia*, Arteſia, Hannonia legitimo domino reſtituerentur. Quîs firmādis ſponſalia inter Delphinum & Margaretam Archiducis filiam inita. Verum eluſa à Delphino, cum regni hæres, ad Britanniæ ducem a-

nimum applicuit, matrimonioque ſibi devinxit. Etiam Maximiliano cum Gandavenſibus & Brugenſibus, quorũ contumaces ſpiritus difficile frangebantur, bella fuere. Tantus quippe Brugenſium furor fuit, ut Maximilianum Regẽ tum temporis Romanorũ per novem menſes cuſtodiæ dederint, nobilioribus aulicis in conſpectu Principis ſui capite multatis. Atque adeo ſæviebat ignobile vulgus, ut Cuſpinianus teſtatur, ut extrema quæque Domino intentare viderentúr. Imperator Fredericus genitor cum nonnullis imperii Principibus

cipibus XXXII millia militum adduxit, Gandavum obsedit, filium ex faucibus perfidorum Brugensium eripuit. Etiam Deus immortalis tantam contumaciam jure ultus mare veluti retrocedere à civitate jussit, atque celeberrimum Imporium subito justissima vindicta destituit. Maximilianus postmodum emperii Romani Diademate auctus, Belgii curam Philippo filio, qui decimum & sextum ingressus annum erat, reliquit. Hic ex Iohanna Ferdinandi Hispaniarum regis filia Carolum V, Ferdinandum Regem

Hungariæ, Bohemiæque, & filias quatuor Eleonoram, Eliſabetham, Mariam, & Catharinam, quæ ſummis poſtmodum Europæ Principibus nupſerunt, ſuſcepit, & morte Ioannis Caſtilienſis, qui frater Iohannæ erat, diverſa ad eum regna devoluta ſunt. Princeps utique pacatus, divitiis pollens multiſque virtutibus decorus, Burgi, quæ civitas Granatę eſt, extremũ diẽ obiit an. MDVI Cui Carolus V vix ſexennis hæres deſtinatus, moderante Belgium Margareta amita. Ubi autem pubertatis annos attigit, ſolenni ritu tota fe-

re

re Belgica Dominum agnovit. Validoleti dein incredibili ſplendore paterna regna hæres accepit. Morte Maximiliani Imperatoris avi ſui communi Electorum voto Romanum adeptus imperium. Cujus abitum in Germaniam Hiſpaniarum ſecuta rebellio. Occaſio Gulielmi Croii Chievrii, quem pro Rege Hiſpaniæ Carolus præfecerat, inſolens, uti ferebant, imperium. Revera homini externo invidere tantum potentiam indigenæ Proceres. Factionis Princeps Petrus Gironius præcipua nixus nobilitate, qui ſub co-

lore vindicandæ Hiſpanicæ libertatis Validoletum profectus, Iohannam Caroli matrem captivam abſtulit. Verum propere collectis copiis, qui Imperatoris partes ſequebantur, Reginam captivitate ſolvêre, gravique exemplo in rebelles animadvertêre. Carolus autem, cum magna imperia ignavia cõtineri nequeant, & Principis preſens numen magis adoretur, extinguendo inteſtino ſeditionum igni in Hiſpaniam trajicit, & per octennium ibi moratur. Quippe morbi Rerumpublicarum prudentia & auctoritate facile cohibentur,

bentur, diu autem aucti non niſi per dura & extrema quæque coërceri poſſunt. Sicuti autem vaſti torrentes difficile ſe ſuo alveo continent, ita imperii magnitudo Carolo multum negotii moleſtiæque faceſſebat. Dum enim in Hiſpania cuncta tranquilla, Geldri Zutphaniique infeſtis Belgium armis impetebant. Belli demum jure domiti victique eam accepere pacis conditionē, ut Carolus Geldriæ Dux feudo ab Imperatore Geldria Zutphaniaque potiretur, & Groninga Coevordaque Carolo aſſereretur. Conceſſa quoque

que illi Ultrajectenſis ab Henrico Bavaro Trajectenſi Antiſtite; & tranſiſulana ditio, cum ante aliquot annos Friſia acceſſiſſet à Georgio Saxonię duce centum Florenorũ millibus. Tota dein quoque ferme Germania, dum in religionis partes ſcinditur, dum ruſticorum ardent tumultus, dum Principum diſſenſiones augentur, fœde dilacerabatur. Neque quieta Gallia Mediolanenſi imminebat imperio. Papienſis civitas à Franciſco rege obſidione premebatur, Davalus impiger animi nocte intempeſta moto exercitu recta

cta ad Regia caſtra contendit. Gallorum primi multa cæde & ſanguine ſuorum territi retrocedere coguntur. Helvetiorum vim, quę valli loco erat, repreſſere ſubſecuti Germàni. Ipſe rex dum ſuos à fuga compeſcere nititur, equo graviter vulnerato dejectus, à quinque Cæſaris interceptus eſt militibus. Cecidere eo prælio partim ferro, partim Ticino amne abrepti ex Gallorum exercitu octo millia hominum, inter quos ex flore nobilitatis plurimi. Ex Cæſaris copiis vix ſeptingenti cæſi deſideratique ſunt. Ipſe admodum

dum Rex Ludovicæ Auguſtæ matris interceſſione, libertatis deſiderio, Flandriã & Arteſiam, omni ſupremo Franciæ imperio emancipavit, cuncta Andegavenſium in Neapolim, & Aurelianenſium, in Mediolanum Genuamque jura abdicavit, Burgundiæque pollicitus traditionem, incolumis ad ſuos evaſit. Sed nulla fides promiſſis habita majores fovit ſimultates, & fatale ſecum bellum traxit. Secutum hinc potentiſſimi Principis matrimonium cum Iſabella ſorore Regis Portugalliæ, ex quâ Philippum unicum filium atque

atque hæredem ſuſcepit. Interea Italico iterum immiſcetur bello, maximoque exercitu pecuniæque ingenti ſumma Genuam appellit. Dum enim Clemens Pontifex creſcentem quotidie Cæſaris in Italia potentiam ſuſpectam habet, Italiæ Galliæque Principes etiam fœdere contracto adverſus Carolum incitavit. Neque vero diu injurias inultas ſivit Imperator. Quippe tumultuario collecto milite ductu Cardinalis Columnæ prius fere Roma capta, quam hoſtem adeſſe nuntiatum eſt. Direpta paſſim ſacra & profa-

na,

na, neque templis Deorum immortalium pepercit vesanus militum furor. Pontifex cum Ecclesiastico ordine intra molem Hadriani, quæ nunc arx Sancti Angeli dicitur, se recepit, mox etiam dedidit. Dum discordiis scinduntur Christiani Principes, Viennam Austriæ obsessam Turcarum mox iterum reliquit Imperator. Comitia hinc Cæsar indixit, quo Turcarum vim imminentem Christianorum limitibus comprimeret contunderetque. Sed quia diversa Principum religio factiones nutriebat, ut utrique parti Princeps satis-

tisfaceret, librum in lucem misit, cui religionis capita inseruit, juxta quorum normam victuri essent interim omnes subditi, donec Tridentinum concilium finem acciperet. Propter Imperii autem grave onus, fratrem Ferdinandum ex consensu Electorum in partem ascivit. *Neque vero tantum spiritum Europa solum* concluſit, sed Indiæ, ipsaque desertis horrida Africa, jugum ejus sensere. Regna Cuscana, Mexicana, Peruviana in Indiis Occidentalibus, quas avi Ferdinandi auspiciis Christophor⁹ Columbus & Americus Ve-

ſputius navigationibus aperuerant, opera Corteſii & Pyarri Hiſpanorum ſibi etſi exquiſita eorundem crudelitate ſubjugavit. Urbem regnumque Tunetanum Hairadino eripuit, legitimoque ſuo reſtituit Principi, arce Goleta Chriſtiano milite firmata. Teſtis quoque laborum nobilis etſi infœlix ad Argieram Africę opidum expeditio. Nam & imbrium vis vehementiſſima, ventorumque continua rabies militem nondum tentoriis poſitis ita oppreſſerat, ut vires eis atq; animi deficerent. Acceſſit hoſtium in noſtros im-

impetus, qui hanc impugnandi occasionem non prætermittendã putabant. Quin ita intumuerat procellis continuis mare, ut pleræque naves ad vada colliderent, vel fractis anchorarũ funibus spolio Oceani relinquerẽtur. Quos autem Fortuna in terram exportaret, conferti Numidæ transfodiebant. Interea Regina Hungariæ Maria Caroli soror, Ludovici Hungariæ regis vidua, summa æquitate atque inter subditos gratia Belgio præerat. Gandavensium tamen in eandem contumacia movit Imperatorem, ut

iter in Belgium properaret. Ducis quoque Cliviæ, qui ſibi Geldriam vindicabat, domita eſt inſolentia. Religionis vero in Germania diſſidia ita in nervũ eruperant, ut nullum amplius tanti mali remedium adhiberi potuerit, ita dirigentibus fatis, ut ſuam Proteſtantes religionem tuerentur quam acerrime. Ac tanta ſubito ingeniorum ſurrexit ſeges, ut extingui illorum placita nequaquam poſſent. Itaque ad arma ventum, & Imperatoris ſagacitate Fredericus Dux Saxoniæ, & Philippus Lantgravius Haſſiæ in ordinem

dinem redacti, diutinaque carceris ſolitudine & ſqualore retenti. Franciſcus interea Galliarum Rex, qui multis Carolum belli difficultatibus fatigaverat, ad plures abiit, & ad Henricum ſecundum imperii pervenit ſumma, qui patrius hæres, etiam iras ſpirituſq; patris, antiquaſque in Imperatorem ſimilitates ſuſcepit. Sed induciæ quinquennales poſtmodum cõſtitutæ. Sequitur admiranda invictiſſimi Imperatoris Caroli v Provinciarum, regnorum, imperii denique abdicatio. Quæ eo magis ſtupori fuit cunctis mortalibus,

libus, quod difficillime antea tanti Principis ſpiritus in arctũ redigeretur, ſed ultra utrumque limitem ſolis ſe extenderat, quod nunquam quieti ſed armis addictus, nunc voluntarium ſibi eligeret ocium, & more Principibus incognito omni poteſtate cederet. Quippe Ferdinando imperii inſignia, Philippo filio totum Belgium mox etiam Hiſpaniarum regna tradidit. Ipſe è Belgio in Hiſpaniam ſe contulit, & domicilium in Cœnobio Hieronymiano, in Luſitaniæ Caſtellæque finibus, haud procul à Placentia civitate cepit:

pit: ubi amænitate loci captus, & Iannelli Turriani, maximi id temporis Mathematici, ingenio oblectatus, febri dein paulatim ſenile corpus conſumente correptus fato ceſſit, cum annos quadraginta hæreditariis Provinciis, ſex & triginta imperio Romano ſumma totius orbis admiratione præfuiſſet. Cur omnibus regnis Provinciiſque ceſſerit, varii feruntur Hiſtoricorum ſermones, dum unuſquiſque ingenio ſuo indulget. Utique abdita Principum rimari difficillimum eſt. Priſtina certe fortuna Caroli olim ſocia in bello

Gallico ſtationem ſuam mutare videbatur. Principem autem gloriæ cupidiſſimum dum fama ejus periclitaretur, in tempore receptui cecinisse cordatiores credebant. Ipſe fatiscentes ſenectutis vires, in concilio Belgicorum Procerum, & gliſcentem continuo morbum prætexuit, neque tanto oneri ſe parem oſtendit. Poſt diſceſsũ Divi Caroli in Hiſpanias, cum qua Maria ſoror profecta fuerat, Philibertum Sabaudiæ ducem Belgio Philippus Caroli filius præfecerat. Cui præter probatã virtutem ſanguinis accedebat

neceſ-

neceſſitudo. Bellum interceſſit Philippo cum Pontifice Paulo IV, cui expeditioni Ducem Albæ Proregem Neapolitanum præpoſuerat. Et rex Galliæ Pontificem quoque inſtigabat. Violatis equidem inter Philippum & Henricum Reges induciis, Philibertus celebrem illam ad Sanctum Quintinũ de Gallis reportavit victoriam, horroremque nominis toti admodum Galliæ incuſſit. Dux quoque Albæ plurimis triumphis eo Pontificem in Italia adegit, ut pacis conditiones cum Principe noſtro conſtituere co-

geretur. Et mox cum capto Caleto atque civitatibus Flandriæ Gallus immineret, Lamoralius Egmontius, cujus ad Sanctũ Quintinum ſpectata quoque fuerat virtus, prope Gravelingam hoſtem domuit ſubegitque. Donec nuptiales faces Philippi (Maria enim Angliæ Regina ad plures abierat) cum Iſabella Galliarum Regis filia, & Sabaudi cum ejuſdem ſorore bellorum extinxere incendia. Philippus compoſitis rebus ubi Margaretæ Parmenſi Belgii regimen tradidit, atque intempeſtivo tempore in Hiſpanias profectus eſt,

ſecu-

ſecuti illi Belgici tumultus, qui ſanguine maria, terras, fluminumque vortices late infecere, totamque fere Europam in partes traxere. Cauſæ civilium motuum variæ, libertatis avitæ imminutio, militis Hiſpani inſolentia, Antiſtitum nova inſtitutio, ſanguinolenta diverſæ religionis inquiſitio, quæ graviſſimis ſuppliciis à Romanâ Eccleſiâ diſſentientes deſtinabat. Nobilitas quoque Hiſpanorum artibus opum primo prodiga, dein ſumptibus impar res novas optabat. Cardinalis Granvellani invidenda itidem indige-

digenę nobilitati apud Margaretam erat auctoritas, Belgicique proceres ſecretis conſiliis nunquam vel raro admovebantur. Utique mox ruptis ſanctorum imaginibus, templis violatis, ſanguine maculatis altaribus, denſiſſima calamitatum nubes toti Belgio incubuit. Quam Dux Albæ, rigida cruentaque gubernatione, auxit, dum inſtituto ſanguinolento concilio tot millia hominum cætera innocentes religionis veluti victimas occidit, Nobilitatem Belgicam proſternit, Egmontium Hornanumque ſecuri ſubjicit,

Prin-

Principis Auriaci aliorumque procerum bona in fiſcum redigit. Tota admodum terra innocenti ſanguine turgebat, exulum proſcriptorumque capita vel maria volvebant, vel diſſitæ recipiebant regiones. Ita redacti ad incitas miſeri mortales, nullum niſi in deſperatione refugium habuere. *Sicuti morbi nonnulli ſola quiete ſanantur, moti autem maligni humores*, alios atque alios ad ſe trahunt: ita multa Reip. vulnera tempore quieſcunt, ſi crudelius ſecueris atque agitaveris, accenduntur. Secuta itaque aperta defectio-

ctione externorum Principum opes imploratæ. Prima expeditio Ludovici Naſſovii in Friſiam fuit. Cui dum incautius Comes Arembergius occurrit, memorabilem cladem prope Heiligerlæum cœnobium accepit. Ipſe & Adolphus Naſſovius mutuis percuſſi vulneribus ſe morti devovere. Quæ ſtrages ubi aures Albani perculit, paſſim in præcipuam Nobilitatem Belgicam, in qua præcipui Comes Egmondanus, & Hornanus, ferro ſævitum eſt, ut metu ſinguli in officio continerentur. Quæ infirma, potentiæ ſtabilien-

dæ,

dæ, terroris vincula magis populum exacuerunt. Horrorem quoque cunctis injiciebat Philippi in filium Carolum, qui Belgis addictior credebatur, summus rigor. Properatæ enim necis filio auctor non vane existimabatur. Albanique mox insolentia ex victoriis reportatis de Ludovico Gulielmoque Nassoviis, quorũ hunc ad Ienlingam prælio cecidit, illum prope Trajectum ad Mosam annonæ inopia Gallias petere coëgit, in immensum crevit. Nam eo triumpho superbus statuam sibi in arce Antverpiensi erexit, Cu-

lem-

lemburgii ędes Bruxellis diruit, etiam rerum venalium decimas indixit. Quibus Hollandi maxime & Trajectini ſumma pertinacia reſtitere. Quarum exactionem uti Albanus urgebat, ita inaudita aquarum tempeſtas multis hominũ millibus abſorptis, ad mitiora coëgit. Primum confœderatorum ſpolium duce Limæo Brila fuit, ubi Moſa flumen præcipiti vortice in Oceanum volvitur. Quam dum Boſſuvius Hiſpano milite fruſtra recuperare tentat, Roterodamum ex inſidiis occupat, & ſanguine civium miſerandum in modum

dum maculavit. Secuta mox in Zelandia Fliſſinga Auriaci partes, quæ Pacecum Albani conſanguineũ ſuſpendio multavit, totaque fere Walachria. Quo nuncio univerſa pene Hollandia, excepto Amſtelodamo, Albani jugum cervicibus ſuis excuſſit. Eodem tempore Gulielmi Bergii auſpiciis nulla civitate reſiſtente occupatæ urbes comitatus Zutphaniæ, & in Velavia Hattumum, Elburgum, Hardervicum, in TranſiſulaniaSwolla, Campi, Oldenzalia, Haſſelta, in Trajectenſi Diœceſi Amisfurtum, in Friſia Sneca,

Bolſwerda, Franequera Doccumum Principi Auriaco ceſſere. Collectis dein copiis Gulielmus, Gallorũ nixus auxilio Brabantiæ urbes populabatur, verum ſecuta cædes Pariſienſis ulteriora tentandi occaſionem præſcidit, & ad Moſam ſe recipere adegit. Magnaque celeritate paſſim ab Albano Brabantiæ urbes recuperatæ, Mechlinia populantium quoque militum furorem ſenſit. Montes Hannoniæ, à Ludovico Naſſovio capti, poſt trimeſtrem obſidionem juſſa facere coacti. Batavorum quoque nonnullæ civi-

civitates crudelitati Hiſpanorum objectæ. Narde-num Goylandiæ opidum incenſum, dirutum, etiam imbelles, & quos ætas infirma à criminibus excuſabat, neci traditi. Harlemenſes, ubi per octo menſes Fredericum Albani filium à mœnibus arcuerunt, atque etiam mulierum rabies hoſtem laceſſeret, inter quas Kennava maſculi ſpiritus fœmina ordines ducebat, tandem fame ad incitas redacti, per aliquot dies, continuato ferali ſupplicio, gladio, laqueo, undis, quæſitiſque aliis ſuppliciis conſumpti. Qui Bar-

barus furor extrema quæque pati ſingulas Hollandiæ civitates commovit. Tentata quidem Alcmariæ obſidio, ſed fruſtra. Maritimo quoque prælio feliciter à noſtris contra Boſſuvium pugnatum, ipſo veluti Auſtrali ſinu, qui regionem hanc noſtram alluit, virtuti indigenarum favente. Interea Medioburgum primarium Zelandiæ oppidum à Principe Auriaco obſidione premebatur. Cui liberando Sancius Avila & Iulianus Romerus, cum expedita navium claſſe deſtinati. Sed Boiſoti Zelandorumque virtus, prælliique mariti-

maritimi peritia non difficile universam hostium classem delevit, quæ vel vadis collisa, vel ignibus injectis consumpta periit. Plurimos vortices aquarum suffocarunt, quibus ferri pepercerat acies. Et secuta mox urbis deditio animos fœderatis, quorum maxima id temporis pecuniæ erat inopia, reddidit. Nam ex mercibus divenditis florenorum decies centena millia confeciſſe proditum eſt. Crescentibus indies in Albanum Belgarum odiis missus in Belgium Ludovicus Requesenius, ut nimium Albani

rigorem facili modeſtia temperaret. Quo tempore Valdeſius poſt priorem Lugduni in Batavis obſidionem, inſecuta fœda Ludovici Naſſovii ad Mochemum ſtrage, iterato urbem preſſit. Quæ cum fame, peſte, diſcordiis undique agitaretur, atque hoſtis variis acceſſibus urbi imminneret, immota tamen contra tantam violentiam ſtetit. Imperata ipſius præfecti Hiſpani in certum diem irruptio petitione nobilis virginis, cujus ſe amoribus Valdeſius addixerat, impedita. Donec divina ope aggeribus ruptis Moſam Oceanum-

ceanumque in agros ſuos urbs admiſit, atque accedente maris æſtu proſperoque vento, Lugdunum verſus colliſa aquarum mole, ſumma omnium admiratione liberata eſt. Mirum dictu, cum impetuoſus Auſter aquas in altiores agros vi ſe immiſiſſet, liberata civitate contrarius iterum ventus aquas in Moſam & Mare oceanũ retorſit. Cõceſſumque illud virtuti civium, ut in poſterum publicum ibi Muſarum erigeretur domicilium, atque æternitatis ſedes. Tentata dein à Requeſenio mari fortuna, nam inaudita au-

dacia, pervada Zelandicas insulas, Duvelandiam mox, & Scaldiam penetrarunt: & mirũ dictu, homines terræ assueti in nostris nos aquis vicere. Zirizea gravi obsidione à Vitellio cincta in hostiũ manus venit. Sed ea post Requesenii obitum relicta, propter stipendiorum defectum tumultuantibus Hispanis, miserequé & hostiliter Brabantiam vastantibus. Nata hinc intestina seditio, dum quotidie magis erumpebat intolerabilis Hispanorum insolentia. Dumque Brabantia, Flandria, Artesia, Hannonia superbæ atque impotentis

tentis Hiſpanicæ dominationis pertæſa eſſet, Proceres peregrinum militem Provinciis ſuis emittendum cenſuere, atque in eam rem Hollandorū Zelandorumque auxilium petiere. Fœdus denique Gandavenſe cum iis ictum. Aucta eorundem indignatio, audita Trajecti ad Moſam direptione, ubi crudeliter in fortunas vitamque civium ſævitum. Antverpienſium dein effuſum ſanguinem decolor Scaldis teſtatur. Dum enim opidani contra arcem ſe tuentur, maximo furore in urbem præcipites feruntur Hiſpa-

ni, incendio, cæde late omnia complent. Fortiſſimę cives, pro laribus & focis, pro univerſa denique fortuna, quæ mortales plerũq; accendunt & ſtimulant, dimicavere. Sed equitatus multitudine protriti, partim cæſi, horrendum Martis exhibuere ſpectaculum. Incenſáque curia ſuperbo conſtructa opere, mercimoniiſque onuſtæ privatorum ædes lacrymas nemini non excuſſere. Civium cuncta bona furori militum relicta, ſex hominum millia cæſi. Tumultus illos adventu ſuo Ioannes Auſtriacus Caroli v naturalis filius

non

non parum extinxit, dum fœdus Gandavense, edictumque de missione Hispanorum approbavit. Quin & officiis, morumque facilitate Belgarum populum devinciebat. Sed ubi ex literis interceptis simulatio detecta, popularis aura subito evanuit, communique voto Auriacus dictaturæ Belgii præpositus, quamvis non diuturnâ potestate. Matthiam enim Archiducem Rodolphi Imperatoris fratrem Nobilitas Belgica accersivit. Interea Alexander Farnesius Hispanorum Italorumque junctis copiis, dum fœderatorum

exercitus fortunam Auſtriaci tentare ſatagebat, memorabilem illam prope Gemblacum reportavit victoriam, quam ſecuta Lovanii, Tinemontis, Areſchoti, Boviniaci, Sichemi, Philippopolios, Limburgi, aliarumque urbium deditio. Sed eam cladem Rimenandę prope Mechliniam Auſtriaci fuga & ſtrages expiavit. Ipſe Auſtriacus prope Namurcum ſubita morte obiit. Veneno extinctum nonnulli tradiderunt. Quippe altiores juvenis ſpiritus, quos Pontifex Romanus fovebat, diſplicuere Hiſpano. Caſimiri

rii interim copiæ, atque Alençonii ſuppetiæ multum res confœderatorum auxere, ſed ſecutâ irritatione Gandavenſium, gliſcentibus inter diverſarum religionum partes odiis, evanuere. Neque Parmenſis, qui Auſtriaco ſucceſſerat, partibus ſuis deerat, Trajectumque ad Moſam poſt gravem obſidionem jugo ſubjecit. Secutæque multæ nobiles civitates: diſcordiiſque mutuis Ordinum res labebantur, dum Arteſia, Hannonia, aliæque regiones cum multis tribunis militum, poſtquam Coloniæ fruſtra de pace actum eſſet.

eſſet, ad Hiſpanos defecere. Tum demum fœdus unionis Ultrajecti inter Geldriam, Hollandiam, Zelandiam, Ultrajectum & Friſiam in Epiſcopali civitate conſtitutum. Cui & Brabantia & maxima pars Flandriæ ſubſcripſit. Ab Ordinibus autem abjurato Rege Hiſpaniarum anno 1581. Alençonio fratri Regis Galliarum, dimiſſo honorifice Matthia Archiduce, Provinciarum fœderatarum ſuprema dignitas certis legibus oblata eſt. Quam conditionem ubi accepit, poteſtati firmandæ omnia conſilia direxit. Atque

que aulici identidem vanum esse Principis nomen limitata auctoritate passim inculcabant. Quorū vocibus ad adulationē compositis dum incautius obsequitur, tragicum neque satis cogitatum de Antverpiâ occupanda consilium arripit. Uti Gallorum impetus præcipites utplurimū mole ruunt sua. Sub specie enim militum delectus, vigilum turba interfecta, turmatim pedites equitesque urbem ingressi, virtutem civium experti. Plerique enim aut sanguine suo urbem infecere, aut in fugam redacti, portarum an-

gu-

guſtiis protriti, aut denique Scaldis violentia abrepti ſubmerſique ſunt. Ipſe Princeps annonæ penuria preſſus, dum Diliam amnē trajicit, rupto pōnte, plurimiſque aqua merſis vix evaſit, & dein Dunkerkam mox in Gallias profectus, ex animi ægritudine, vel, ut nonnulli tradidere, ex veneno vitam finivit. Ita turbatis rebus cuncta Parmenſi ex voto cedebant. Dunkerka, Neoportus, Vorna, Ipra etſi diu pertinax deditæ. Princeps quoque Chimajus Flandriæ gubernator defecit tradita Bruga vicinoque Damo. Exiguis

itidem

itidem copiis Gandavum à Parmenſi obſeſſum, expugnatum. Gulielmus quoque Bergæ Comes Geldriæ Gubernator defectionem moliebatur: ſed detecta conjuratione juſſu concilii Geldrici in Hollandiam miſſus, quo ejus cauſa dijudicaretur. Ad extrema ire inconſultum videbatur ſine autoritate *Principis Auriaci*, cujus ſororem Berganus matrimonio ſibi junxerat. Certis dein conditionibus dimiſſus in partes tamen regis Hiſpaniarum abiit homo temerarius, judiciique expers. Secuta mox cædes Gulielmi Principis, in præ-

cipiti posuit novam Rempublicã. Quippe ingenium illi præsens, prudentia insignis, animus invictus, laborum patiens, libertatis amans, inaccessus, nihilque minus quam arcanorum prodigus, ita ut facile aulæ Caroli v. innutritum quis cerneret. Ultimum itaque fœderatis refugium in externo Principe fuit. Oblatum Galliarum regi imperium, sed recusatum. Interea res fœderatorum dilabebantur. Neomagum & Doesburgum hosti cessere. Eandem conditionem Bruxella, Mechlinia accepere. Antverpia civitatum

Bra-

Brabanticarum princeps, cum concatenatis navibus, anchoriſque Scaldis fluenta à Parmenſi clauderentur, idem fatum habuit. Fœderati cæſi prope Ameron-gam in Velavia, & in Friſia prope Boxum, quæ hac clade tributaria in partes ſcindebatur, diſcordiiſque agitabatur, niſi provida cura Gulielmi Comitis difficillimis temporibus occurriſſet. Reginæ poſtmodum Angliæ ſupremum obtulere imperium Fœderati: Eliſabetha conditionem quidem non accepit, ſed ſuppetias pollicita Comitem Lyceſtriæ futurum

uniti Belgii gubernatorem miſit. Qui omnium Ordinum ſummo gaudio exceptus libertatis religioniſque publicus vindex & conſervator appellabatur. Sed ubi ab intimis ejus conſiliariis Procerum quotidie cõtemneretur auctoritas, inter quos Ringoudus quidam primas partes tenebat, diſcordiarum ſemine jacto tota fere ſeditionibus concuſſa Reſp. Auxeruntque diſſidia Comitis Hohenloæ inviſa poteſtas, Mauritiique Hollandiæ præfectura, Principiſque ingratus Lyceſtrio Comiti titulus. Quîs acceſsêre aureæ mo-

netæ

netæ mutatio, impedita navigatio, pecuniarum nimia consumptio, militum dilata stipendia, peregrinorum dignitas, magistratuum denique contemptus, divisique auctore Lycestrio Hollandiæ termini, qui utrinque civilibus exarsêre armis. Post reditum autem Comitis ex *Anglia*, dum eadem vulnera recrudescunt, Sluſa Flandriæ civitas Parmensi traditur. Daventria, & Venloa prodita. Utrinque inter Ordines Comitemque libellis editis certatum. Lugdunum Batavorum factioni Lycestrianæ alendæ opportunum

credebatur. multorum enim civium præcipue Flandrorum animos religio in diversam partem abripuerat. Tentata itaque fortuna urbem invadendi Duce Cosmo de Pescarengiis, sed re aperta in conscios conjurationis exemplum more majorum constitutum. Crescentibusque quotidie mutuis odiis Lycestrius consultius credidit relicto Belgii regimine Angliam repetere. Ingens dein Hispanorũ spiritus Britãniæ insulæ, opibus virisque florentis, quæque Belgii veluti propugnaculum erat, imperium cogitabat. Immensa

menſa in eam rem extructa claſſis milite, armis, commeatu turgens. quæ cũ Parmenſis copiis conjungi nequiret, partim expugnata, partim ventorũ injuriis acta vel in vada colliſit, vel maris furore abſorpta, ita ut naufragio ſuo Hiberniam vicinaſque inſulas impleret. Paucæ incolumes portus Hiſpaniæ retigere. Amiſſo flore nobilitatis tantus ſingulas familias perculit dolor, ut tota admodum regio in publico privatoque luctu poſita videretur. Lugubres itaque veſtes niſi ad exiguum tempus geſtare edicto vetitum eſt. Im-

menſæ hunc in modum Hiſpani cogitationes, quis & regnum Angliæ & Belgii ſupremum jugum cogitabat, irritæ in ventos abiere, & graviore caſu ludibrium fœderatis reliquere. Parmenſis dein Tolenſem ditionem navigiis petit, Bergas ad Zomam obſidet ſed irrito conatu. Gertrudisberga ex proditione militum tradita. Poſt Lyceſtrii diceſſum, qui non multo poſt ad plures abiit, Mauritio Naſſovio imperii ſumma ceſſit. Qui ſingulos fere annos pluribus victoriis numeravit, nec gloria belli expectare virum potuit.

potuit. Teſtes laborum, Breda antiquum Naſſoviorum patrimonium, qui fatalia ceſpitum pondera una cum latitante milite, ruptis glaciei vinculis in arcem attraxit, Zutphania, Daventria, Hulſta, Neomagum, Stenovicũ, Covorda, Gertrudisberga, Groninga, multæque aliæ nobiles & invictę civitates debellatę. Poſt Principis Parmenſis obitũ Erneſtus Archidux Belgii præfecturam Hiſpani nomine obivit. Verum intolerabilis faſtus & ſuperbia aliena à Belgarum ingenio auctoritatem ejus plus minuit quam auxit. Omnem

que de pace cogitationem quam acrius urgebat, detecta consilia abscidêre. Mauritii enim vitam homo ignavus & imbellis missis percussoribus bis petiit. Etsi enim Michaëlis Renichonii proditoria manus etiam per legatos excusata, mentem tamen Ernesti secuta alterius parricidæ confessio satis superque aperuit. Sed mortalitaté implevit Ernestus Bruxellis, demandata Reip. cura Comiti Fuentę, donec Hispaniarum Rex statueret Gubernatorem. Albertus dein, qui postea filiam regis Hispaniarum Isabellam uxorem duxit impe-

imperio adhibitus, fovendis pacis artibus potior. Sed interceptæ Baptistæ Taxii literæ, qui Regi Hispaniarum à Consiliis erat, periculosæ plenum opus aleæ facile demonstrarunt. Post Caletum & Ardresium in Galliis occupatum prima Alberti victoria Hulsta fuit, sed cruenta admodum obsidio. Circa quinque millia militum ibi prostrata fuisse, cum militiæ impiger Everhardus Solmensis ibi præfectum ageret, testantur Patriæ Annales. Circa eadem fere tempora ad Sinam & Moluccas Boreali via tentata ab Hollandis navi-

navigatio. Sed maximis periculis diverſis itineribus cum glaciali Oceano luctantes conſtrictique, ubi deſævire frigoris ferocia aliquo modo inciperet, propiuſque ſalutare ſolis jubar accederet, infecta re domum ire coacti. Felicius auſtrum verſus Indica ſucceſſit expeditio, etſi Luſitanorum indigenarumq; inſidiis aliquoties obnoxia. Nimirum cum Hollandi per univerſum terrarum orbem vela dimitterent, ſolus reſtabat Ganges, qui divitias ſuas in Rhenum effunderet, & fabuloſum antiquis aurum eructaret. Tentatum

tatum quoque occidui ſolis cubile, Braſiliamque & Guineam virtus Batavorum perrupit. Rex Hiſpaniarum iterum mari infelix inſtructam ſuorum claſſem, pecunia onuſtam, quæ Britannicas petebat inſulas, vadis colliſam amiſit. Ipſe Rex penuriâ rerum laborans contractus omnes, quos cum mercatoribus ab anno CIↃ IↃ LXXVII inierat, irritos reddidit. Hinc ſecuta ea rerum facies, ut plurimi opulenti mercatores ſubito fortunis exuti cæteros quoque iiſdem calamitatibus involverent. Neque Regi, neque Alberto

berto ulla mutui fides. Et non multo poſt ſub auſpiciis invicti Principis Mauritii ſenſit hoſtis prope Turnhoutam noſtrorum vires. Ubi Balanſonii lethũ, diſperſaque paſſim cum pube ducum funera, ſanguineque ſtillantes campi, vexilla amiſſa, arx Turnhoutenſis occupata fœderatorum animos erexere. Tantam victoriam excepit plurimarum urbium expugnatio. Maxima enim celeritate Mauritius Rhenobergam, Alpam, Meurſam, Grollam, Bredevortiam, Enſcedam, Oldenſeliam, Otmarſum, Lingam ſibi

ſubje-

ſubjecit. Eodem tempore æſtu Oceani ventorumque furore tanta inundatio in Hollandiâ efferbuit, ut Waterlandia vicina Amſterodamo Regio tota aquis obrueretur, aggeres ripæ exſiccati lacus rumperentur. Altiuſque id creditum diluvium quam quod miſera clade anno CIↃIↃLXX tot hominum jumentorumque millia proſtraverat. Et veluti Neptuno Vulcanoque de imperio certantibus, tanta aliquoties ignium tempeſtas ſummo civium detrimento urbi Amſtelodamenſi incubuit, ut totum admodum opidum in præ-

ſenti

ſenti periculo eſſet. Sed utique eo ſolum plurimæ ædes cecidiſſe videbantur, quo ſplendidiores rara civium fortuna erigerentur. Sequenti anno, qui fuit CIↃIↃXCVIII, ærarii tanta apud Belgas, qui Hiſpanum agnoſcebant, inopia fuit, ut ad extrema quæque redigerentur, recuſante militiam ſine ſtipendio milite. Neceſſitas itaque legem fecit, ut de pacis conditionibus præcipue cum Galliarum Rege cogitarent. Et quanquam legatione impedire Gallorum fœdus niterentur uniti Belgæ, eo tamen res cecidit, ut Galliæ

ſtatus

ſtatus miſere bellis attritus, licentiaque morum, nulli non corruptioni obnoxia, Regem etiam invitum ad conditiones pacis cogeret. Neque multo poſt Petrus Pannius ad necē Mauritio infligendā à Ieſuitis inſtigatus, Lugduni, quod eſt in Batavis, meritas ſceleſti propoſiti pœnas dedit. Ita totiēs imminentē maximi Principis jugulo gladiū averruncavit Deus Immortalis. Secutum hinc an. CIↃIↃXCVIII matrimonium Alberti cum Iſabella Infante, ut loquuntur, Hiſpaniæ, tradituſque in dotem Belgii Principatus. Eodem anno tertio

Septembris die vivere deſiit Rex Hiſpaniarum horribili variorum morborum flagello percuſſus, fœdis ulceribus & phtiriaſi conſumptus, Princeps omnium ſuo tempore potentiſſimus, qui uſque ad Orientem atque Occidendentem ſuum imperium extenderat, &, niſi Belgii ſecuta fuiſſet fatalis defectio, totum ſibi Chriſtianum orbem ſubdidiſſet. Idem ſub colore Romanæ Religionis callide erigere ſibi diu cogitatam Monarchiam conatus, ſanguine Chriſtiano noſtrum orbem tepefecit. Cujus morte imperium

perium maximum jure ad filium Philippum devolutum eſt. Dum Albertus matrimonii cauſa in Hiſpaniâ moratur, Franciſcus de Mendoza militiæ Belgicæ ſummus præfectus, Cliviam Weſtphaliamque populatus, occupatis aliquot urbibus late terrorem circumtulit, quæſitiſque tormentis in ruſticos, cives, nobileſque ſæviit. Maximis Mendoſæ copiis exiguis admodum viribus reſtitit invictiſſimus noſter Imperator. Magnum fugientis Iberi opprobrium liberata Bommela. Prohibita dein ab Alberto Hi-

ſpanica negotiatione cum fœderatis Belgis, idem ſumma animi magnitudine cõtra communem hoſtem edixere noſtri Proceres. Quinet, tanquam de ſua regione ſecuri eſſent, ingenti claſſe ſeptuaginta navium duce Douſa ipſam Hiſpaniam vicinaſque regiones tentaverunt, magnam Canariam occuparunt, urbem igni ſubjecerunt, Gomeram inſulam ſpoliarunt. ô ſingularem animum ac ſpiritum populi fœderati, tam difficilibus domi rebus, diviſa in alienas regiones arma mittere, Hiſpanum in propriis regionibus adoriri, hoſtem-

hoſtemq; adeo contemnere! Verum, dum virtus in pretio erit, nomen inauditæ ad Neoportum in Flandria victorię manebit. Dum enim fœderatorum exercitus ab uno latere mari, ab altera hoſte clauditur, atque hinc ludibrio Oceani, illinc Hiſpanorum relinquitur ferociæ, diuque ab utraque parte *incerta belli alea* nutat, tandem pugnante nobiſcum cœlo & vento, illum extorſit hoſti triumphum, à quo tota admodum Belgii ſalus pendebat. Occiſorum numerus infinitus, totoque admodum litore militum trunca cada-

vera, & ſquallentia tabo ſanguineque fœda corpora paſſim ſine honore jacebant. Inter captivos Mendozæ maxime effulgebat dignitas, atque immixtus flos Nobilitatis. Princeps dein Mauritius eo colore, tanquam ſi ad nuptias Ludovici Comitis cum vidua interempti Comitis Broucæ celebrandas Arenacum veniſſet, ex improviſo Rhenobercam, dein & Meurſam oppidum, cujus ex teſtamento hæres erat, occupavit. Admiranda ſequitur Oſtendæ obſidio, quæ utrinque infinitum militum numerum exhauſit, opes

opes hoſtis attrivit. Totiens minori circulo diminuta, vallo ex cadaveribꝰ conſtructo, novo effoſſo portu, ultra triennium invicta ſtetit, donec tandem hoſti rudera, patriæ Rhenoberkam, Graviam, Sluſam Flandrorum, Ardeburgum, præter alia munita loca, dedit. Ita ut, tametſi victa, victrix fuiſſe videatur, dum nobis materiam triumphi dedit, tantamque Hiſpani potentiam & furorem tam diuturno tempore eluſit, & quotidie minor, tandem, cum non amplius eſſet, expugnata eſt. Supra quinquaginta hoſtium millia in

hac obſidione ferro occubuiſſe idonei tradiderunt autores. Exhauſto ærario, continuis Hiſpanorum ob dilata ſtipēdia ſeditionibus, etiam pacis à fœderatis, etſi multum illorum vires fractæ eſſent, negata conditio. Sequenti anno cum ſtratagemate Antverpiam principem Brabantiæ civitatem invadendi, fortunę alea Mauritio non bene ceſſiſſet, occupata dein Wouwana arce, quę poſtea diruta, prope Scaldin fluvium fœderatorum & Spinolæ exercitus moram traxere. Sed poſtea diverſo itinere cum Rhenum Dux

Bu-

Buquoiæ trajeciſſet, Spinola mox ſecutus ſumma celeritate urbes aliquot Oldenzaliam, Lingam, Wachtendonkam occupavit. Berga ad Zomam munitiſſimum opidum ſubito inſultu ab Herecourtio pene occupata. Prope Mulhemum ad Roram amnem acriter diu certatum, dubiâ victoria Comes ibi Fredericus Mauritii frater à ſuis relictus medio hoſtium agmini immixtus, ſclopeto lateri impoſito neque excuſſo, pugnando admiranda virtute ad ſuos rediit. Aſſultus hoſtium in Sluſam maritimam Flandrorum ci-

vitatem ſingulari noſtrorum virtute irritus fuit. Spinolæ tamẽ imperium agnovere Lochemum, mox à Mauritio receptum, Grolla, Berka ad Rhenum. Quotidie autem noſtrorum vires reluctante Luſitano in Indiis per mercaturam creſcebant, legatiq; à Rege Zumatrę miſſi nectebant amicitiæ novæ vincula. Maximã autem cladem claſſis Hiſpanica, cui præerat Iohannes Alvarus Davila, in freto Tarteſſiaco ad Gibraltaram à fœderatis accepit. nam ubi conſertæ utrinque manus, pleræque naves vel ignium ferocia, vel maris

ſyrti-

syrtibus consumptæ. Compertum est ultra quatuor armatorum millia classem hostium tenuisse, quorum maxima pars subversis propemodū deletisque prætoriis navibus omnibus, una cum præcipuis præfectis, ferro, aqua, igne interiit. E fœderatis centum plus minus sublati, inter quos *Hemskerkius* Præfectus, cui crus sinistrum cum femore abreptum animam quoque abstulit. Neque vero res nostræ etsi acciſæ Indicam animo expulerant expeditionem, libertatisque inclytum nomen, cum de induciis pangendis ageretur,

retur, ipſe Rex & Albertus approbarunt. Libertatis ſibi vocabula uſurpare, hoſti potentiſſimo haud ita difficile, etiam confeſſionem eripere inuſitatum. Neque minus de commerciis Batavorum in Indiam actum, ita ſtatuentibus Ordinibus Iure Gentium immenſum vaſtumque mare unicuique patere, neque commercia præcludi cæteris gentibus poſſe. Nullam hic valere præſcriptionis antiquitatem, bellive injuſtum titulum, vel donationis Pontificiæ arbitrium. Indias æ-

que

que liberis Luſitanorum atque Batavorum commerciis patere, fructus amicitiæ mutuæ non intercidi neque poſſe neque debere. Ad extremum itaque, cum pacis nomen ſtabiliri hoc modo non poſſet, in Europæ terminis ad duodecennium percuſſæ induciæ. Ubi hoſtilis metus defuit, ſubito civium Batavorum animi in diſcordias acti, propter religionis arcana de Prædeſtinatione myſteria, Arminio Gomaroque diſſidiorum auctoribus. Utique in ſecreta Dei immorta-

lis

lis irrumpere mortalium non eſt, & neſcire velle quæ magiſter maximus neſciri voluit, erudita inſcitia eſt. Plerumque in religione Chriſtiana, ſi fidem demas, quam divina pagina nobis inculcat, etiam ipſa Religio cadit. Dum itaque incautius in inveſtigandis illis arcanis ingenio ſuo abutuntur ii, qui ab Eccleſia noſtra defecere, & Politici variis artibus & machinationibus eidem quæſtioni ſe inſerunt, parum abfuit quin in partes diviſa tota dilaceraretur Batavorum Reſpubli-

ca,

ca, niſi ſumma Ordinum prudentia Mauritiiq; Principis auctoritas ſpiritum reddidiſſet. Quamquam poſtea Oldenbarneveldius factionis Princeps capite truncatus novas ſeditionũ faces in Mauritii necem accenderit. In noxios exemplo majorum animadverſum eſt. Sedandis antea religionis controverſiis Synodus Dordraci conſcripta multorum è diverſa parte animos majore odio exacerbavit. Donec ademptis militi adverſæ partis armis, iterum tranquillitas loca turbulenta occupavit. Ita dirigentibus fatis, ut induciis

ciis finitis poſt feralis Cometæ minas ſalutare iterum concordiæ jubar fulgeret. Interea Peccius Archiducum Legatus eò veſanæ confidentiæ abiit, ut in concilio Fœderatorum Procerum proponere auſus fuerit, ut aliquando abſterſo civili ſanguine Principé agnoſcerent ſuum, quem illis Lex & natura conſtituerat. Cui acriter reſponſum, majeſtate Populi Fœderati indignam hanc legationem, ſe ſua hactenus multo ſanguine ita defendiſſe, ut & in poſterum defenderent, Iuſtitiã cauſę demonſtraſſe ipſum Deum immor-

immortalem, neque minores ſibi animos quam majoribus eſſe. Ita Peccius ad ſuos rediit, ab infima plebe etiam injuriis multatus. Annus agebatur milleſimus ſexcenteſimus vigeſimus primus cum Albertus Bruxellis extremum diem obiit, ſequentique anno Berga ad Zomam munitiſſimum Brabantiæ opidum, occupata antea Stenberga, fruſtra à Spinola obſidione preſſa, à fœderatis ſumma Hiſpanorum ſtrage liberata eſt. Bredâ hinc à Spinola obſeſſâ, expeditio in arcem Antverpianam Mauritio Principi

non bene ceſſit. Nobilis hinc ſequitur victoria in India Occidentali. Quippe ſine ulla ſuorum cæde Iacobus Willekenius claſſis præfectus Bahiam & in eâ civitatem opulentam, quæ à Salvatore nomen accepit, occupavit. Sed vix anno elapſo ſumma ignavia ſine ullo prælio victores victi, cum Hiſpanica claſſis illis immineret. Mortuo dein Mauritio, cujus ſpectata virtus, atque immortalia ſemper erunt in Batavorum Remp. merita, ad ſummum imperii faſtigium celſiſſimus Princeps Fredericus Henricus perſpectâ Bel-

Belgarum populo virtute aſcendit. Æqualis profecto eſt Occidentis Orientiſque virtutis jure ſuo æſtimatio. Atque uti ſub fratre Mauritio libertatis ſibi optatum nomen Reſpublica accepit, ita nunc ſub auſpiciis Frederici ad ſecuritatis terminos evaſit, atque hoſti terrorem, cæteris gentibus venerationem incuſſit. Continua enim fere triumphorum catena fuit. Quin & ipſa Bredæ occupatio, dum hoſtis regium cenſum opeſque in eâ prodigit obſidione, victoriæ loco fuit. Batavorum autem virtus Grollam, munitiſſimum

opidum domuit, Hiſpanos cecîdit, claſſem Indicam opibus tumidam duce Petro Heinio diripuit, Sylvam Ducis Brabantiæ munitiſſimum propugnaculum occupavit, ubi fluminibus aggeres injecit, paludes ſiccavit humana diligentia. Vaſtata ab hoſtibus Velavia, Amisfurto opido tradito, Veſaliam nobis dedit divinus favor, atque hoſtem viſceribus patriæ inhærentem ejecit. Nobilis hinc ſequitur in Indiam occidentalem expeditio Præfecto militiæ Diderico Weerdenburgio, & Archithalaſſo Henrico Loncquio,

quio, qua urbs Olinda, & ſuis munita rupibus Recifa, atque inſula S. Vaſii incredibili virtute Batavis ceſſit. Neq; minor ſequenti anno clades Ioannis Naſſovii. Claſſis quippe Hiſpanica dū in noſtris nos aquis tētat, vadis fixa, à mille & quingētis militibus noſtris acriter ipſo noctis ſilentio impugnata, tanto terrore ſubito concuſſa fuit, ut partim diſperſa, partim capta ingens fœderatis ludibriū debuerit. Præter ſubmerſos occiſoſq; quater mille & ſexcenti capti fuere milites, cuncta admodū navigia & cymbę victori ceſſere. Quis porro admi-

mirandas Trajecti ad Mosam, Bredæ, arcis Scenkianæ, quam hostis intercepérat, & Gennepanæ obsidiones non exhorrescit cũ audit? Et incredibilis illa de Hispanorum classe in angustiis Freti Anglici victoria, horrorem potentissimo Regi injecit, opesque multũ attrivit. Celsissimus hinc Princeps Gulielmus Nassovius cum Maria Regis Britanniæ filia matrimonium postmodum contraxit. Fausta quidem illa, sed plurimum antecedens per aliquot annos in Brabantiam Flandriamque irruptio deminuit virtutẽ gloriam-

riamque Batavorum. Præterquã enim quod inutiles fuerint expeditiones, ſanguinẽ civium effusũ turpiſſimamq; lanienam, ſacra & profana violata furẽte militeGallico Thenę adhuc loquuntur, militaris quippe violẽtia fruſtra renitẽte Imperatore noſtro omnẽm modum exceſſit. Multũ nocuit nobis ipſum illud horreum incenſum, quod diuturno tempore frumentum nobis ſuggerere potuiſſet, & crudelitatis apud hoſtẽ de nobis cõcepta opinio. Celebris quoque Calloënſis clades fuit, queis plurimi, dum inconſultius fugæ ſe tradunt,

vel ferro vel paludibus abſorpti periêre, vel captivi carceres compleverunt. Sed hæc non tantum triumphorum continua, quam ſuperius commemoravi, ſeries, ſed maxime Saſſæ Gandenſis victoria delevit, cum portus atque obices Flandriæ Brabantiæque perrupti. Dum enim Grevelingæ imminet Gallus, cui liberandæ hoſtium copiæ miſſæ erant, properati acceſſus atque tantæ operum moles eidem hoſti horrorem incuſſere. Itaque mirum dictu, dum in medio opere militum labor adhuc ſudaret, ventorum aquarum-

rumque furor caſtra impleret, firmum tantæ arcis munimenta teneret præſidium, Andreas de Parado militari gloria inclytus præfecturam ageret, ſupra omnem expectationem deditus portus Gandavenſis, qui imminet Flandriæ Brabantiæque finibus. Secuta poſtmodum Hulſtæ, munitiſſimi oppidi, quod hactenus invictum credebatur, expugnatio terrorem Belgis, qui ſub ditione Hiſpaniæ regis ſunt, auxit. Itaque ad pacem omnium animi inclinabant, & quibuſcunque conditionibus bellum finiri debere rerum

gnari asserebant. Belgę quoque fœderati vicinam Galli Potentiam suspectam habebant. Interea languere quotidie invictus Principis Frederici spiritus, corpus quoque debilitari cepit, donec lento morbo anno CIↃIↃCXLVII die Martii XIV extinctus est maximus hujus sæculi Imperator, qui prodigus vitæ toties se hosti stitit, & nunquam vulneratus est. Itaque neque post mortem corpus aperiri voluit, sed integrum sepulchro dedit. Pax dein glorioſa Monasterii inter Hispaniarum Regem & Fœderatos Proceres frustra re-

renitente Gallo peracta ſanguinem civilem extinxit. Libertatem noſtram ipſe Rex agnovit, approbavit. Secutus in paternis dignitatibus Filius Gulielmus diu vitalis non fuit. Poſt nubem enim diſcordiarum, quæ Patriæ imminebat, ſubito variolis è medio ereptus eſt. Magnū inde concilium Fœderatorum Belgarum indictum, quo diſcordiæ ſopitę, acta anni quinquageſimi obliterata & è faſtis eraſa, religio ſtabilita, & quicquid ad Remp. firmandam pertinet feliciter tranſactum eſt. Deus immortalis Perpetuam pacem

cem animi & corporis Fœderatis Belgis largiatur, inimicorum technas rumpat & eludat, & concordiæ ſpiritum Proceribus fœderatis inſpiret. Quod voveo & opto.

FINIS.

Digitized by Google

TRACTATUS
PACIS,

Trigesimo Ianuarii, anno supra millesimum sexcentesimo quadragesimo octavo MONASTERII WESTFALORUM,

INTER

Serenissimum & potentissimum Principem

PHILIPPUM REGEM Hispaniarum, &c.

ab una;

Et Celsos Potentesque Dominos

ORDINES GENERALES

Fœderatarum BELGII Provinciarum,

ab altera parte;

CONCLUSÆ.

Digitized by Google

TRACTATUS PACIS.

IN nomine & ad honorem Dei, notum ſit unicuique, quod poſt longum & ſanguinolentum bellū, quo tot annos gentes, ſubditi, Regna, & regiones tam Regi Hiſpaniarum, quam Ordinibus Generalibus Fœderatarum Belgii Provinciarum ſubjectæ oppreſſæ fuerunt, prædicti Domini Rex & Ordines Chriſtianâ pietate permoti & deſiderantes finire miſerias communes, & ſiſtere triſtem ſequelam, calamitatem & pericula quæ ulteriorem belli Belgici progreſſum comitarentur, & ſe quoque ad alios ſtatus, terras & procul ſitas ditiones, ac maria extenderent, & ſiniſtros utrinque ſucceſſus, mutare in gratam, charam, & ſinceram pacem dulceſque fructus plenæ & firmæ quietis, ad conſolationem prædictarum gentium ac regionum iis ſubjectarum, & reparationem damnorum perpeſſorum, ad communem ſalutem non tantum Belgii, ſed & univerſæ Chriſtianitatis, invitantes

&

& obteſtantes cæteros quoque principes, & poteſtates, ut, Divina benedictione, ſe moveri ſinant ad eandem compaſſionem & averſionem à malis, detrimentis, & confuſionibus; quibus gravis bellorum moles tamdiu eos afſecit: Collimantes ad tam bonam metam prædicti Domini *Philippus Quartus* Rex Hiſpaniæ, & *Ordines Generales* unitarum Belgii provinciarum, commiſerunt ac deputarunt, Dictus Dominus Rex *Dom. Gaſparem de Braccamonte & Guzman, Comitem de Penaranda, Dominum de Aldea ſeca de la Frontera* equitem ordinis de *Alcantara*, perpetuum adminiſtratorem Commendaturæ de Daymiel, ordinis *Calatravæ*, Nobilem cameræ ſuæ majeſtatis, eidem à conſiliis & camera, & extraordinarium Legatum ad Cæſaream Majeſtatem, & primarium plenipotentiariū ad tractatus pacis generales; *D. Antonium Brun*, Equitem, Conſiliarium Catholicæ Majeſtatis in ejus conſilio ſtatus, & alto ad res Belgicas & Burgundicas apud ejus perſonam conſilio, ejuſdemque plenipotentiarium ad tractatus pacis generales; & prædicti Domini Ordines Generales unitarum Belgii Provinciarum Dominum *Bartoldum à Gent*, Dominum in *Loenen* & *Meynertſvvyck*, &c. Amptmannum

mannum & Dyckgravium *Bommeliæ*, insularumque *Tilanæ*, & *Bommelianæ*, deputatum ab Equestribus & Nobilibus provinciæ Geldricæ inter ordines generales; Dom. *Iohannem à Matheneſſe*, Dom. in *Matheneſſe*, *Riviere*, *Opmeer*, *Souteveen*, *&c.* Consiliarium status & deputatum inter ordines generales ab Equestribus & Nobilibus Hollandiæ & Westfrisiæ, Hoochheemradium Schielandiæ; Dom. *Adrianum Pauvv*, Equitem, Dominum in *Heemſtede*, & *Hogerſmilde*, &c. primum præsidem consiliarium rationumque magistrū Comitatus Hollandiæ Westfrisiæque &c. & ab eâdem provinciâ deputatum inter Ordines generales: Dom. *Iohannem de Knuyt*, Equitem, Dominum in *Out & Nieu Voſmeer*, primum, & repræsentantem membrum Nobilitatis inter ordines Comitatus Zelandiæ, & in Admiralitate ibidem, primarium Consiliarium celsitudinis *Principis Auriaci*, ordinarium Deputatum inter Ordines generales; Dom. *Godartum à Reede*, Dominum in *Neederhorſt*, *Vreedelant*, *Cortenhoef*, *Overmeer*, *Horſtvvaert*, &c. Præsidem Dominorum Nobilium & Equestriuum provinciæ Ultrajectinæ, & eorum nomine comparentem in conventu Ordinum Generalium; Dom. *Franciſcum*

à *Donia*, Dominum in *Hinnema in Hielſium*, &c. Deputatum à provincia Friſiæ inter Ordines generales; Dom. *Wilhelmum Ripperda*, Dominum in *Hoogelo*, *Boxbergen*, *Boculoo*, & *Ruſchenburg*, &c. Deputatum ab Equeſtribus & Nobilibus provinciæ Tranſ-Yſulaniæ inter Ordines generales, Dom. *Adrianum Clanth in Steedum*, Dominum in *Nitterſum*, &c. Ordinarium Deputatum à provinciâ Groningæ & Omlandiæ inter Ordines generales; omnes Legatos Extraordinarios in Germaniam & Plenipotentiarios prædictorum Ordinum generalium ad tractatus pacis generales, & munitos plenâ procuratione, inſertâ in fine hujus; Qui congregati in urbe Monaſterienſi Weſtfaliæ, communi conſenſu deſtinatâ ad tractatus univerſalis in Chriſtianitate quietis, virtute prædictarum ſuarum procurationum, loco & in nomine prædictorum Dominorum Regis & Ordinum, fecerunt, concluſerunt, & tranſegerunt, ſequentes articulos.

I.

Imprimis declaret dictus Dominus Rex, & agnoſcat dictos Dominos Ordines Generales unitarum provinciarum Belgicarum & provincias ipſas reſpectivè cum omnibus ſibi aſſociatis

Digitized by Google

tis ditionibus, urbibus, & terris appertinentibus, liberos & supremos Ordines, provincias ac terras, in quos vel eorum earumve associatas ditiones, urbes, ac terras prædictas dictus Dominus Rex, nec nunc, nec posthac, pro se ipso, suis successoribus & posteritate, unquam quicquam prætendat, & idcirco se contentum certumque esse cum iisdem Dominis Ordinibus tractare, sicut facit per præsentes, Æternam Pacem, conditionibus deinceps scriptis & declaratis.

II.

Dicta pax sit bona, firma, fidelis, & inviolabilis, & propterea cessatio omnium actuum hostilitatis cujuscunque modi, inter prædictos Dominos Regem & Ordines tam per mare aliasque aquas quam per terram, in omnibus eorum respectivè Regnis, ditionibus, terris, dominiis, pro omnibus eorum subditis, & incolis cujuscunque qualitatis aut conditionis ii fuerint, sine discrimine locorum aut personarum.

III.

Unusquisque habeat ac realiter fruatur ditionibus, urbibus, locis, terris, ac dominiis, quæ impræsentiarum tenet ac possidet, ita ut in eo non turbetur aut impediatur directè nec indirectè,

ctè, quocunque id fuerit modo; ſub quibus intelliguntur etiam vici, pagi, vicinitates & terræ planæ ab iis dependentes: conſequenter totus Majoratus Sylvæducenſis, ut & omnia Dominia, urbes, caſtella, vici, pagi, vicinitates & terræ planæ dependentes ab eadem urbe & Majoratu Sylvæducenſi, urbe & Marchionatu Bergozomenſi, urbe & Baronatu Bredano, urbe Trajectinâ ad Moſam ejuſque juriſdictione, ut & comitatu Vronhovio, urbe Graviâ & ditione Cuykiâ, Hulſtâ & Baillivatu Hulſtæ, & Ambachtâ Axeliâ, ſita ad auſtrum & ſeptentrionem ejus, cum fortalitiis, quæ præfati Domini Ordines nunc tenent in ditione Waaſiâ, & omnes alias urbes & locos quos vel quas dicti Domini Ordines poſſident in Brabantiâ, Flandriâ, & alibi, maneant penes prædictos Dominos Ordines in omnibus & iiſdem juribus & partibus ſupremi Imperii & ſuperioritatis, nihil excepto, & æquè ac poſſident provincias unitarum provinciarum. Ita tamen ut omne reliquum ditionis Waeſiæ, exceptis dictis fortalitiis, maneat penes Regem Hiſpaniæ. Quod attinet tres tractus Tranſmaſanos, nempe Falkenburgum, Daelhemum, & Rotulamducis, maneant in ſtatu in quo

nunc

nunc ſunt: & in caſu controverſiæ ſuper iiſdem remittantur ad deciſionem cameræ diſpartitæ; de quâ poſthac dicetur.

IV.

Subditi & incolæ ditionum dictorum Dominorum Regis & Ordinum ſervent omnem bonam correſpondentiam & amicitiam inter ſeſe, ſitque amneſtia offenſionum & damnorum antehac perpeſſorum. Liberumque ipſis ſit venire & manere in ditionibus alterutrius, ibique exercere negotia & commercia in omni ſecuritate, tam mari aliiſque aquis quam terra.

V.

Navigatio & commercia in Orientali & Occidentali Indiis conſerventur conformiter & juxta Privilegia in eum finem jam data vel deinceps danda: & ad majorem ejus ſecuritatem ſerviat præſens tractatus & ratificatio hinc inde ſuper eo producenda: comprehendanturque ſub eodem tractatu omnes poteſtates, nationes, & gentes cum quibus prædicti Domini Ordines aut Indiarum Orientalis ac Occidentalis Societates, eorum nomine, intra limites privilegiorum ſuorum ſunt in amicitiâ & fœdere: & altè memorati Domini Rex & Ordines

maneant unuſquiſque reſpective in poſſeſſione & fruitione talium Dominiorum, Urbium, Caſtellorum, propugnaculorum, commerciorum, & terrarum, in Orientali ac Occidentali Indiis, ut & in Braſilia, item in oris maritimis Aſiæ, Africæ, & Americæ reſpective, uti & qualia iidem Rex & Ordines reſpective habent ac poſſident: comprehenſis ſub iiſdem ſpecialiter locis, quæ à Luſitanis ab anno milleſimo ſexenteſimo quadrageſimo primo Dominis Ordinibus ſurrepta ac occupata ſunt, aut ea loca quæ poſthac abſque infractione hujus tractatus acquirent & poſſident. Adminiſtratores ſocietatis tam Orientalis, quam Occidentalis Indiarum in unitis provinciis, ut & eorum miniſtri, ſuperiores & inferiores officiarii, milites, nautæ, in actuali ſervitio unius aut alterius ſocietatis conſtituti, aut qui antè in eo ſervitio fuerunt, ut & ii qui tam hîc terrarum quam in territoriis dictarum ſocietatum adhuc conſiſtunt, & poſthac denuo in ſervitio earum futuri ſunt, liberè & ſecurè in omnibus regionibus, ſub obſequio Regis Hiſpaniarum in Europâ, proficiſcantur, commercentur, eant, redeantque, ut alii incolæ ditionum Dominorum Ordinum. Porro conven-

tum

tum & ſtipulatum eſt ut Hiſpani continuent ſuas navigationes tali modo ut adhuc in Indiâ Orientali habent & utuntur; ita ut ulterius eas non extendant. Sicut vice versa incolæ unitarum provinciarum abſtineant à frequentatione locorum Caſtellanorum in India Orientali.

VI.

Et quantum ad Indiam Occidentalem, ſubditi & incolæ Regnorum, provinciarum, & terrarum prædictorum Dominorum Regis & Ordinum reſpectivè abſtineant à navigatione & commerciis portuum & locorum quæ fortalitiis, habitaculis, vel caſtellis poſſidentur, aliorumque omnium ab una vel altera parte poſſeſſorum: nempe ne ſubditi prædicti Domini Regis navigationibus aut commerciis adeant portus locoſque quos prædicti Domini Ordines poſſident, nec ſubditi prædictorum Dominorum Ordinum adeant eos qui tenentur à prædicto Domino Rege. Et inter loca à prædictis Dominis Ordinibus poſſeſſa etiam comprehendantur ea quibus Luſitani prædictos Dominos Ordines ab anno milleſimo ſexenteſimo quadrageſimo primo ſpoliarunt; ut & omnia alia loca quæ iidem nunc poſſident, donec ſub Luſitanis erunt: ita

tamen ut articulus antecedens non deroget contento hujus.

VII.

Quoniam autem justi temporis spacium requiritur antequam ii, qui extra prædictos limites manu militari & navibus instructi erunt, admoneri possint ut ab omni hostilitatis actu desistant, conventum est, ut pax intra limites dicti Privilegii Societati Indiæ Orientalis unitarum Belgii provinciarum indulti, aut deinceps tractu temporis indulgendi, non prius incipiat quam post annum à Die pacis conclusæ numerandum. Et quantum ad limites privilegii Societati Indiæ Occidentalis ab Ordinibus generalibus indulti & adhuc eidem indulgendi; ut pax ibi non prius incipiat quam post medium à die conclusæ pacis numerandum annum: Ita tamen, si publico nomine, hinc inde, notificatio memoratæ pacis intra respectivos limites citius advenerit, ut ab eo tunc tempore omnis ibi cesset hostilitas. Quod si tamen post illud anni & medii anni spacium respectivè intra prædictos limites præmemoratorum privilegiorum hostilitates aliquæ ibi fuerint commissæ, damnum illud sine morâ reparetur.

Sub-

VIII.

Subditi & incolæ prænominatorum Dominorum Regis & Ordinum commercia exercentes in terris alterutrius, non teneantur ſolvere plus juris & impoſitionum quam proprii reſpective eorum ſubditi. Ita ut incolæ & ſubditi unitarum Belgii provinciarum ſint & maneant immunes à certâ impoſitione viginti de centum ſolvenda, aut ſimili, majore, minore, aut aliâ, quam Rex Hiſpaniæ durante duodecennali Treugâ exegit, aut poſthac directe vel indirecte à prædictis incolis & ſubditis unitarum Belgii provinciarum ad eos plus, quam ſuos ſubditos, onerandos exigere vellet.

IX.

Prædicti Domini Rex & Ordines extra limites ſuos reſpective de nullis mercibus aut bonis tranſeuntibus pro importatione, exportatione vel alias, quicquam capiant vel exigant.

X.

Subditi prædictorum Dominorum Regis & Ordinum reciproce fruantur in terris alterutrius antiquâ à teloniis libertate, cujus in poſſeſſione pacatâ fuerunt ante belli initium.

XI.

Negotiatio, converſatio, & commercium inter reſpectivos ſubditos

ne impediatur: & ſi quæ impedimenta accidant, realiter & effectivè tollantur.

XII.

Et à die concluſæ ac ratæ habitæ pacis Rex curet ut ceſſent omnia telonia ad Rhenum & Moſam, quæ ante bellum fuere ſub juriſdictione & diſtrictu unitarum provinciarum: ſpecialiter quoque Telonium Zelandicum; ita ut illud telonium nomine ſuæ Majeſtatis non exigatur, nec in civitate Antvverpienſi nec alibi: ita tamen, eâq; conditione, ut à dicta die Ordines Zelandiæ reciproce ſuo oneri ſumant & ſolvãt primo & ante omnia à dicto die annuos reditus qui ante annum milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum ſecundum ſuper dicto telonio fuerint conſtituti, & in quorum poſſeſſione ac receptione proprietarii eorum fuerunt ante initium belli. id quod ſimiliter faciant proprietarii prædictorum aliorum teloniorum.

XIII.

Sal albũ coctũ proveniens ex unitis Belgii provinciis in terrã prædictæ ſuæ Majeſtatis, illic recipiatur & admittatur, nec plus oneretur quam Sal crudũ & craſſum. Vice verſa ſal ex terris prædictæ ſuæ Majeſtatis proveniens,

niens, in unitis provinciis admittatur & diſtrahatur ſine onere majore quam quod ſali prædictorum Dominorum Ordinum eſt impoſitum.

XIV.

Flumen Scaldis, ut & canales Saſſiæ, Swyndæ, aliæque ex mari intrantes & ad illas ſe referentes, clauſæ teneantur à parte Dominorum Ordinum.

XV.

Naves & bona ex partibus Flandriæ reſpective venientia omnibus iiſdem impoſitionibus & aliis oneribus à prædicto Domino Rege graventur & gravata maneant, quibus bona per Scaldim alioſque canales in ſupra dicto articulo comprehenſos, tam in introitu quam exitu reſpective gravantur. Poſthac autem conveniatur inter partes reciproce de modulo dictæ æqualis onerationis.

XVI.

Civitates Hanſeaticæ cum omnibus ſuis civibus, incolis, & terris, quoad navigationem & commercia, in Hiſpaniæ Regnis, & terris Hiſpanicis fruantur omnibus & iiſdem juribus, libertatibus, immunitatibus & privilegiis quæ in præſenti tractatu ſunt conventa, aut poſthac convenientur in favorem & intuitu ſubditorum & incola-

colarum unitarum provinciarum. Et vice versa prædicti subditi & incolæ unitarum provinciarum fruantur omnibus & iisdem juribus, libertatibus, immunitatibus, privilegiis & Capitulationibus tam quoad constituendos Consules in Capitalibus & maritimis civitatibus Hispaniæ, & alibi ubi opus fuerit, quam pro mercatoribus, factoribus, magistris, sociisque navalibus aut aliis, eodemque modo quo prædictæ civitates Hanseaticæ generaliter vel particulariter antehac acquisiverunt & exercuerunt, aut in posterum acquirent & exercebunt, ad securitatem, commodum & beneficium navigationis & commercii suarum civitatum, mercatorum, factorum, Commissariorum, aliorumque inde dependentium.

XVII.

Subditi & incolæ terrarum prædictorum Dominorum Ordinum gaudeant quoque eâdem securitate & libertate in terris prædicti Domini Regis, quæ indulta est incolis Regis Magnæ Britanniæ per novissimum pacis tractatum, secretosque ejusdem articulos cum Comestabili Castellano factæ.

XVIII.

Memoratus Dominus Rex quam pri-

primum curam neceſſariam adhibeat, ut honeſta deſtinentur loca ſepeliendis corporibus eorum, quibus à parte prædictorum Dominorum Ordinum in terris prædicti Domini Regis mori contigerit.

XIX.

Subditi & incolæ terrarum memorati Domini Regis in terras prædictorum Dominorum Ordinum venientes, gerant ſe modeſtè intuitu publici religionis exercitii, nec ullum committant ſcandalum vel oppobrium re aut verbis. Idem obſervent ſubditi & incolæ terrarum prædictorum dominorum Ordinum ubi in terras ſuæ majeſtatis venerint.

XX.

Similiter mercatores, magiſtri navium, naucleri, ſocii navales, eorumque naves, merces, aliave bona ad eos pertinentia ne ullo modo arreſtentur vel detineantur, ſive vi mandati alicujus generalis vel particularis, ſive quàcunque ex cauſa bellica vel alia, ne quidem ſub prætextu, quod id neceſſarium ſit ad conſervationem & protectionem terrarum Regis. Sub quo tamen non intelligantur arreſta juſtitiæ per vias ordinarias ex cauſa proprii debiti, obligationum, validorum contractuum cum iis, contra quos inten-

intentantur, initorum; in quibus procedatur ex uſu juris & rationis.

XXI.

Committantur ab utraque parte judices æquali numero in forma *cameræ diſpartitæ*, qui reſideant in convenientibus Belgii locis, idque per vices alternas modo ſub unius modo ſub alterius juriſdictione, prout mutuo conſenſu conſultum videbitur: qui quidem hinc inde conſtituti judices juxta commiſſionem & inſtructionem ipſis dandam per eoſque jurandam, ſecundum formulam certam ab utraque parte eo fine ſtatuendam, videant & cognoſcant tractationem incolarum prædictarum Belgii provinciarum, onerumque & impoſitionum, quæ ab alterutrâ parte à commerciis exigentur. Et quod ſi dicti judices invenerint ab una vel altera parte in eo excedi, exceſſum reparent, ac moderentur. Porrò etiam dicti judices examinent lites ex inexecutione tractatus orituras, ut & contraventiones ejuſdem, ſi quæ in futurum provenerint, tam in hiſce quam aliis longè diſſitis terris, regnis, provinciis & inſulis in Europa, & ſuper iis ſummarie ac de plano diſponant ac pronuncient, ut juxta Tractatum judicabunt æquum. Sententiæ autem & diſpoſitiones

tiones dictorum judicum executioni mandentur per ordinariam Iuſtitiam loci, in quo contraventio evenerit, aut contra perſonas contravenientium, prout id occaſio requiret. Prædicta ordinaria Iuſtitia dictæ ſententiæ executionem facere aut fieri, & contraventionem reparari intra ſex menſium tempus, ex quo prædicta ordinaria Iuſtitia requiſita fuerit, ne moretur.

XXII.

Si quæ ſententiæ & deciſiones inter perſonas diverſarum partium non defenſas ſive in civili ſive criminali materia datæ fuerint, nequaquam contra perſonas condemnatorum aut eorum bona executioni mandentur. Literæ quoque Clarigationis vel Repreſſaliarum ne dentur, niſi cum cognitione cauſæ, & in caſibus, per leges Cæſareas & conſtitutiones, juxtaque ordinem in iis ſtatutum.

XXIII.

Advenire, intrare, aut manere in portubus, ſinibus, plagis, aut ſtationibus terrarum alterutrius partis cum bellicis navibus & militibus, eo numero, qui ſuſpicionem creare poſſit, ſine venia & conſenſu ejus, ſub quo dicti portus, ſinus, plagæ, ſtationeſque ſunt non ſit licitum, niſi tempeſtate

ſtate vel alia neceſſitate ad evitanda maris pericula cogantur.

XXIV.

Quorum bona belli cauſa arreſtata vel confiſcata fuerint, ii vel eorum hæredes actionemve habentes illis bonis fruantur, & poſſeſſionem eorum propria autoritate & virtute hujus tractatus adeant; nec opus habeant recurrere ad Iuſtitiam, nihil obſtantibus quibuſvis incorporationibus pro fiſco, oppignorationibus, donationibus factis, tractatibus, conventionibus & tranſactionibus, & quibuſcunque renunciationibus in iiſdem factis ad excludendum à parte eorum bonorum eum ad quem ea pertinent. Omnia autem bona & jura juxta præſentem tractatum reciprocè antiquis proprietariis eorumve hæredibus, aut actionem habentibus, reſtitutâ aut adhuc reſtituenda, proprietariis liberum ſit vendere, abſque ulla particularis conſenſus impetratione. Conſequenter de proprietate redituum, nomine fiſci in locum bonorum venditorum, conſtitutum, ut & de reditibus aut actionibus ad onus fiſci ſtantibus proproprietarii diſponant pro libitu per venditionem aut alio modo tanquam de aliis ſuis propriis bonis.

Quod

XXV.

Quod etiam locum habeat ad commodum defuncti Domini Principis Guilielmi Auriaci, etiam pro juribus quæ habent in Salinis Comitatus Burgundiæ : Eaque ipsis restituantur & relinquantur cum Sylvis inde dependentibus, intuitu ejus quod non reperietur emtum & solutum nomine suæ prædictæ majestatis.

XXVI.

Sub iis etiam intelligantur comprehensa ulteriora bona & jura in Comitatu Burgundico & Charolesio sita: Et quicquid juxta tractatum noni Aprilis anni millesimi sexcentesimi noni, & septimi Ianuarii millesimi sexcentesimi decimi respectivè nondum est restitutum, proprietariis, eorum hæredibus aut actionem habentibus, ab utraque parte ubique bona fidè restituatur.

XXVII.

Sub iis quoque comprehensa intelligantur bona & jura, quæ post exitum Treugæ duodecennalis per sententiam magni consilii Machlinienſis in præjudicium fisci sunt adjudicata Comiti Iohanni Nassaviæ, aut quovis modo præfatus Comes possessionem eorum adeptus fuerit, quibuscunque in locis, terris, dominiis bona & jura

illa adjudicata ſita & per quemcunque poſſeſſa ſint: quæ ſententia, vigore hujus tractatus, ut nulla, & omnis alia acquiſita poſſeſſio, uti dictum eſt, annihilata habeatur.

XXVIII.

Et quantum ad proceſſum de *Caſtello Belino*, intentatum in vitâ defuncti prædicti Domini *Principis Auriaci* coram magno conſilio Machlinienſi contra Procuratorem generalem Regis Hiſpaniæ; quoniam dictus proceſſus nondum fuit terminatus intra annum à proſecutione ejus inceptâ, uti articulo decimo quarto dictæ duodecennalis treugæ erat promiſſum: conventum eſt, ut ſtatim poſt concluſionem & ratificationem præſentis tractatus, Fiſcus in nomine ſuæ Majeſtatis aut cujuſcunq; alterius nomine deſiſtat ab omnibus bonis dicto proceſſu petitis, per quemcunq; aut quocunq; jure ea à quoquam poſſideantur, etiam renuntiet nomine, ut ſupra, omnibus actionibus, aut prætenſionibus, quas prædictus fiſcus in prædicta bona aliquo modo poſſit habere aut prætendere, permittatque, ut per præſentem Dominum Principem Auriacum, ejus hæredes & poſteros, aut jus habentes, ſtatim poſt concluſionem & ratificationem hujus tractatus & ejus vigore, & abſ-

& abſque recurſu ad Iuſtitiam, adeat & accipiat in liberam & quietam poſſeſſionem; ita tamen ut fructus percepti cum oneribus eorum, uſque ad diem concluſi tractatus maneant penes Fiſcum.

XXIX.

Si in aliquo loco difficultas moveatur ſuper reſtitutione bonorum & jurium reſtituendorum, Iudex loci ſine dilatione curet ut reſtitutio ſortiatur effectum, & breviſſimam ad id ſequatur viam; neque ſub prætextu non ſolutarum Capitationum, aut aliàs, dicta reſtitutio ullatenus procraſtinetur.

XXX.

Subditis & incolis unitarum provinciarum in terris obedientiæ prædicti Domini Regis ſubjectis, liberum ſit uti Advocatis, Procuratoribus, Notariis, Sollicitatoribus & Executoribus qualibus viſum ipſis fuerit: quo fine iidem committantur ab ordinariis Iudicibus, ſi opus & Iudices ad illud requiſiti fuerint. Et reciproce ſubditi & incolæ prædicti Domini Regis in terris dictorum Dominorum Ordinum eadem ope fruantur.

XXXI.

Quod ſi Fiſcus, ab unâ vel alterâ parte, fecerit vendi bona aliqua confiſcata, illi, ad quos ea bona pertinere

debebant, contenti ſint uſurâ pretii ad rationem unius de ſedecim, ſolvendâ ad diligentiam eorum qui dicta bona poſſident: alioquin liberum ipſis eſto applicare ſibi fundos venditos, ita tamen, ut loco bonorum venditorum, redituum redemtorum, aut ſummæ capitalis eorum, in nomine reſpectivorum Fiſcorum litteræ patentes iudulgeantur commodo proprietariorum, eorum hæredum, aut actionem habentium: quæ ipſis ſufficiant tanquam probationes declaratoriæ juxta tractatum cum aſſignatione annuarum ſolutionum ad Quæſtorem provinciæ in eâ denominandum in quâ vendita vel redemta fuerint: Numeretur autem pretium juxta primam venditionem publicè vel aliter debitè factam: ejus reditus ſolvendi annus primus cedat anno à die concluſi & ratificati præſentis tractatus.

XXXII.

Si verò dictæ venditiones factæ fuerint per Iuſtitiam pro veris & legitimis debitis eorum ad quos ea bona ſolebant pertinere, ante confiſcationem, licitum eſto illis, aut eorum hæredibus, & actionem ab iis habentibus, ea ad ſe retrahere, ſoluto pretio intra annum, numerando à die hujus

jus tractatus: quo tempore elapso non amplius ad illud admittuntur: facto autem dicto retractu & redemtione, liberum illis sit de iis disponere ad libitum, ita ut nullâ aliâ permissione opus habeant.

XXXIII.

Non tamen prædicto retractui locus sit pro domibus, in urbibus sitis, venditis in hoc casu, ob magna incommoda & damna quæ acquirentes paterentur ex causâ mutationum & reparationum in iisdem domibus factarum: quarum liquidatio nimis foret prolixa & difficilis.

XXXIV.

Et quantum ad reparationes & melioriationes factas in bonis quorum venditiones erunt permissæ, si prætenduntur, Iudices ordinarii cum cognitione causæ jus dicant, manentibus fundis hypothecatis pro summis ad quas meliorationes erunt liquidatæ, ita tamen ut prædictis emptoribus non sit licitum uti jure retentionis pro solutione & satisfactione earum.

XXXV.

Omnia silentio præterita bona, jura, mobilia, immobilia, reditus, actiones, debita, credita, & alia quæ per Fiscum ante conclusionem, & ratificationem hujus tractatus debitâ

cauſæ cognitione non fuerint annotata, maneant in liberâ & plenâ diſpoſitione proprietariorum, eorum hæredum, aut jus habentium, cum omnibus fructibus, reditibus, & commodis. Nec ii qui prædicta talia bona ſiluerint nec eorum hæredes à Fiſcis reſpective moleſtentur, ſed proprietarii, eorum hæredes aut jus habentes, ejus intuitu actionem habeant contra quemcunque tanquam pro ſuis propriis bonis.

XXXVI.

Arbores poſt concluſum hunc tractatum amputatæ & eodem tempore adhuc in fundo jacentes, ut & venditæ, nec tamen prædicto die concluſæ pacis amputatæ, maneant penes proprietarios non obſtante venditione, nec pretium aliquod ſolvere teneantur.

XXXVII.

Fructus, locationum pretia, cenſus, reditus dominiorum, terrarum, decimarum, piſcationum, domuum, redituum, aliorumque proventuum bonorum, juxta hunc tractatum reſtituendorum, expirata poſt diem concluſi hujus tractatus, pro toto eo anno proprietarii, eorum hæredes, aut actionem habentes, conſequantur.

Loca-

Digitized by Google

XXXVIII.

Locationum pretia bonorum confiſcatorum aut annotatorum (quamvis ad multos annos conventa) expirent cum anno concluſi tractatus hujus juxta ſtilum locorum reſpectivorum, ubi bona fuerint ſita: pretiaque locationum poſt diem concluſi tractatus hujus expirantia, uti dictum eſt, ſolvantur proprietariis ita tamen ut uſufructuario dictorum bonorum, ſi quas pro accretione fructuum ejus anni impenſas fecerit, eæ à proprietariis uſufructuario ſolvantur, juxta conſuetudinem & arbitrium loci, in quo ea bona ſita fuerint.

XXXIX.

Venditio confiſcatorum aut annotatorum bonorum poſt concluſionem Tractatus facta, habeatur nulla & infecta: ut & venditio ante eandem concluſionem contra pacta aut conventa cum aliquibus urbibus privatim facta.

XL.

Domus privatorum reſtitutæ aut reſtituendæ juxta Tractatum, præſidio militari vel alio modo ne onerentur plus vel aliter quam aliorum incolarum ejuſdem conditionis domus.

XLI.

Nemo ab una vel altera parte directe vel indirecte in mutanda habitatione ſua impediatur, modo ſolvat jura ſolita; ſi autem poſt tractatum impedimenta cuiquam injecta fuerint, abrogentur.

XLII.

Si quæ fortificationes aut opera publica, ab unâ vel alterâ parte, permiſſu & autoritate ſuperiorum, extructa fuerint in locis, quorum juxta Tractatum hunc reſtitutio fieri debebit, proprietarii, æſtimatione eorum coram ordinario judice tam de bonis prædictis quam de juriſdictione quam illic habebant, factâ contenti ſint. niſi inter partes aliter conveniatur. Satisfactio quoque proprietariis bonorum ad fortificationes, opera publica, aut domos pias applicatorum fiat.

XLIII.

Quantum ad bona eccleſiaſtica, collegia, alioſque locos pios in unitis provinciis ſita, quæ erant membra eccleſiarum, beneficiorum, & collegiorum, prædicto Domino Regi ſubjectorum; quicquid ante concluſionem præſentis tractatus non fuerit venditum, iis reddatur & reſtituatur, inque poſſeſſionem eorum veniant, propria ſua autoritate, ſine ope juſtitiæ, ut iis utan-

utantur, non tamen de illis disponant, ut hic ante dictum est. Sed quoad ea quæ ante dictum tempus vendita, aut ab Ordinibus cujusquam provinciæ in solutum data fuerint, reditus pretii annuus iis solvantur ad rationem denarii de sedecim unius, à provinciâ, quæ ea vendiderit aut in solutum dederit, ita assignatus, ut securi sint. Similiter fiat observeturque à parte præmemorati Domini Regis.

XLIV.

Quantū ad prætensiones & interesse Domini *Principis Auriaci*, intuitu aliquarum partium, quas non possidet, de eis privatim conveniatur ad satisfactionem prædicti Domini *Principis Auriaci*. Sed quod ad alia bona effectusque, in quorum jam possessione ex privilegio & concessione prædictorum Dominorum Ordinum generalium in Bailivatu Hulsterambachtano & alibi est, quorum brevi jam elapso tempore dicti Domini Ordines dederunt confirmationem, omnia ista integrâ & plenâ proprietate penes præfatum Dominum Principem, ejus hæredes, & successores aut jus habentes maneant: ita ut nihil super iis prætendi possit vigore quorumcunque articulorum præsentis tractatus.

XLV.

Quantum ad alia quædam puncta extra præsentis tractatus contenta privatim conventa, & signata in duobus diversis instrumentis, uno sub dato octavi Ianuarii, altero vicesimi septimi Decembris anni millesimi sexcentesimi quadragesimi septimi, pro & in nomine dicti Domini *Principis Auriaci*, prædicta instrumenta & omnia eorum contenta effectum sortiantur, confirmentur, perficiantur, & executioni mandentur juxta eorum formam & tenorem, nec magis nec minus quam si omnia ea puncta generaliter vel specialiter de verbo ad verbum essent tractatui huic inserta: Non obstantibus quibuscunque clausulis hujus tractatus contrariis: quibus clausulis derogetur, & vigore præsentis articuli derogatum esto, eæque clausulæ, quoad dicta duo instrumenta, pro nullis & infectæ habeantur; nec earum vigore aut respectu ullo modo differatur vel impediatur effectus, completio, & executio dictorum duorum instrumentorum.

XLVI.

Illi, quibus bona confiscata debent restitui, ne teneantur solvere reliqua non soluta redituum, onerum & debitorum specialiter super iis bonis

nis affectorum & assignatorum, pro tempore quo iis non sunt usi. Quod si autem eâ de causâ ab una vel altera parte molestentur, remittantur & absolvantur. Et ubi apparuerit omnia alicujus bona ab una vel altera parte ita confiscata vel annotata fuisse, ut nulla retinuerit media, unde reditus & usuras debitorum suorum à tempore confiscationis vel annotationis elapsas possit solvere; is non tantum à realibus oneribus & reditibus, juxta tractatum, sed à generalibus ac personalibus oneribus & reditibus usurarum, dicto tempore elapsarum, liberetur.

XLVII.

Pro bonis venditis vel conditis in eum finem ut aggere cingantur & siccentur vel denuo exsiccentur, nihil prætendatur quam canon seu recognitio à possessoribus promissa, contractibus eo fine desuper factis cum usuris pecuniæ, si quæ subministratæ sint, itidem ad rationem denarii unius de sedecim, ut supra.

XLVIII.

Sententiæ de bonis & reditibus confiscatis inter partes, quæ judicem agnoverint, & legitimè defensæ fuerint, latæ teneant: nec condemnati ad con-

Digitized by Google

contradicendum, niſi per vices ordinarias, admittantur.

XLIX.

Prædictus Dominus Rex cedat ac renunciet omnibus prætenſionibus redemtionis omniumque aliorum jurium & prætenſionum, quas quovis modo habeat vel habere poſſit de urbe Graviâ, terrâ Cuyckiâ, & quæ eò pertinent vel ab iis dependent, antiquo Brabantiæ Baronatu, antehac Domino principi defuncto oppignorato, cujus pignoris redemptio ceſſa & in proprietatem converſa, traditaque in commodum defuncti Domini *Principis Mauritii* fuit in Decembri anni milleſimi ſexcenteſimi undecimi à Dominis Ordinibus generalibus uniti Belgii tanquam ſupremis oppidi Graviæ & terræ Kuyckiæ Dominis, juxta patentes eâ de re indultas litteras, & virtute cujus converſionis & ceſſionis præſens Dominus Princeps, ejus hæredes, & ſucceſſores, aut jus habentes, porro plenâ & integrâ proprietate prædictæ urbis & terræ cum ap: & dependentiis fruantur.

L.

Cedat item & renunciet dictus Dominus Rex omnibus & quibuſcunque juribus, ac prætenſionibus ſive proprieta-

prietatis, ceſſionis, ſive aliàs, quas ullo modo prætendere poſſit de urbe, comitatu & Dominio Lingæ, item de urbe & Dominiis Bevergeerdæ & Cloppenborgi, aliarumque prætenſionum, contra quemcunque fuerit, ut realiter & effective in perpetuum maneant penes prædictum Dominum *Principem Auriacum*, ejus hæredes, ſucceſſores, aut jus habentes pleno jure proprietatis, juxta litteras Donationis indulti Cæſaris Caroli Quinti ſub dato tertii Novembris anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi ſexti, & poſtea factæ conventionis inter Comites Buranum & Tecklenburgenſem ſub dato quinti Martii anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi octavi, & tandem juxta ceſſionem ſuper eo factam in Novembri anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi octavi: quæ dictus Dominus Rex, quantum ad ſe, confirmavit & adhuc confirmet per præſentem tractatum.

LI.

Prædictus Dominus Rex & Ordines utrinque committant officiarios & magiſtratus adminiſtrandæ juſtitiæ & politiæ in urbibus & munitis locis, quæ per præſentem tractatum debent reſtitui proprietariis, ut iis utantur.

Supe-

LII.

Superior tractus Geldriæ permutetur aliquo æquivalente: & ſi de eo non poſſit mutuò conveniri, remittatur ad *cameram diſpartitam*, ut, intra ſex, à concluſo & rato habito tractatu, menſes decidatur.

LIII.

Prædictus Dominus Rex obliget ſe effectivè ad procurandã continuationem & obſervantiam neutralitatis, amicitiæ, & bonæ vicinitatis nomine ſuæ Cæſareæ majeſtatis & imperii cum prædictis Dominis Ordinibus. Ad quam continuationem & obſervantiam itidem prædicti Domini Ordines ſe reciprocè obligant. Et de eo ſequatur confirmatio à ſuâ Cæſareâ Majeſtate intra ſex menſes, & ab imperio intra annum à concluſo & rato habito præſente tractatu.

LIV.

Mobilia confiſcata fructuſque elapſi ante concluſionem præſentis tractatus reſtitutioni ſubjecta non ſunto.

LV.

Actiones mobiliares à prædictis Dominis Rege & Ordinibus commodo privatorum debitorum ante concluſionem hujus Tractatus remiſſæ, extinctæ ab una & altera parte ſunto.

Tem-

Digitized by Google

LVI.

Tempus quod cucurrit durante bello, ab anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, uſque ad initium duodecennalium induciarum, ut & quod cucurrit poſt finitas dictas inducias uſque ad concluſionem hujus tractatus, ne computetur in cujuſquam detrimentum vel præjudicium.

LVII.

Quicunque durante bello migrarunt ad terras neutrales, fruantur effectu hujus tractatus, &, ubi libuerit, habitent, maximè locis ſuis priſtinis, ibique commorentur in omni ſecuritate, obſervantes terræ ejus conſuetudines: Ita ut ex cauſa habitationis (quam habeant ubi locorum placuerit) bona eorum moleſtari vel ii eorum uſu privari nullo modo poſſint.

LVIII.

Nova fortalitia in Belgio, nec ab una nec ab altera parte extruantur, nec novi canales aut foſſæ per quas alter alterum arcere aut ſiſtere queat, fodiantur.

LIX.

Domini Domus Naſſavicæ, ut & comes Iohannes Albertus Solmenſis, gubernator Trajecti ad Moſam nulla moleſtia vel perſecutione afficiantur, tam quoad perſonas quam bona eorū,

nec

nec ratione quorumvis debitorum per defunctum Dominum Principem Guilielmum Auriacum ab anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo uſque ad mortem ejus contractorum, nec ratione onerum elapſorum durante captura & annotatione bonorum iis gravatorum.

LX.

Si qua contraventio fiat huic tractatui per aliquos privatos ſine juſſu dictorum Dominorum Regis aut Ordinum, damnum reparetur, præſertim in loco ubi contraventio facta fuerit, ſiquidem ibi capiantur, aut ubi habitant; ita ut alibi tamen nulla perſecutione in corporibus ſuis quovis modo afficiantur. Nec licitum eis ſit ad arma progredi aut pacis rupturam, ex eâdem cauſa; permiſſum tamen (in caſu denegatæ juſtitiæ manifeſto) eſto per litteras Repreſſaliarum, uti uſus obtinet, procedere.

LXI.

Omnes exhæredationes & diſpoſitiones in odium belli factæ pro nullis & non factis habeantur. Sub exhæredationibus odio belli factis intelligantur & illæ quæ factæ ſunt ex quacunque cauſa unde bellum exortum eſt & inde dependet.

Sub-

Digitized by Google

LXII.

Subditi & incolæ terrarum dictorum Dominorum Regis & Ordinum cujuſcunque qualitatis aut conditionis, declarati ſunto capaces ad ſuccedendum alterutri, tam ex teſtamento quam ab inteſtato, ſecundum conſuetudines locorum: Et ſi quæ ſucceſſiones antehac cuiquam acciderint, in ea conſerventur ac protegantur.

LXIII.

Omnes bello capti relaxentur, ab una & altera parte, ſine lytri ullius ſolutione, diſtinctione, aut exceptione captivorum qui extra Belgium militarunt & ſub aliis vexillis ſigniſve quam Dominorum Ordinum.

LXIV.

Solutio contributionum elapſarum, quæ tempore concluſi pacis tractatus præſtanda reſtiterit reſpectu perſonarum & bonorum unius alteriuſve partis, dirigatur & determinetur per eos qui ab una & altera parte ſuperintendentiam contributionum exercent.

LXV.

Non tendat nec ullo modo explicetur ad commodum vel detrimentum cujuſquam, directè vel indirectè, quicquid durante hac negotiatione ab una vel altera parte ore vel ſcripto

prolatum allegatumve fuerit : Sed tam dicti Domini Rex & Ordines generales & particulares, quam omnes alii Principes, Comites, Barones, Nobiles, cives aliique incolæ Regnorum & terrarum reſpectivè, cujuſcunque qualitatis aut conditionis, maneant in ſuis juribus, juxta contentum tractatus ejuſque concluſum.

LXVI.

Incolæ & ſubditi prædictorum Dominorum Regis & Ordinum reſpectivè realiter fruantur effectu decimi quinti præteritæ duodecennalis treugæ articuli. item effectu decimi conventionis ſeptimo Ianuarii anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſecutæ articuli, quatenus durante dictæ treugæ tempore præfatus effectus non fuerit ab una vel alterâ parte adimpletus.

LXVII.

Limites in Flandriâ & alibi tali modo ut ſub unius vel alterius juriſdictione pertinere arbitrabuntur, diſponantur : in quem finem expectentur & producantur informationes dictis limitibus ſuo tempore dirigendis.

LXVIII.

Nomine & à parte dicti Domini Regis demoliantur fortalitia circa Sluſam, S. Iobi, S. Donati, Stellatum, S. Tereſæ, S. Frederici, S. Iſabellæ,

bellæ, S. Pauli, & receptus Papenmutſii : & à parte dictorum Dominorum Ordinum ſequentia ; nempe utrumque fortalitium in Cadſandiâ Orange & Frederic nuncupata, item duo fortalitia ſuper Paſſu, omniaque ad partem orientalem Scaldis ſita (excepto Lilloo,) & fortalitium Spinola in Kieldrechto : de qua utrinque facienda demolitione inter partes conveniatur ad arbitrandam æquivalentiam.

LXIX.

Omnia regiſtra, tabulæ publicæ, chartæ, archiva, & papyri, ut & cauſæ proceſſuum, aliquos unitarum Provinciarum, ditionum aſſociatarum, urbium, membrorumve aut privatos incolas earum concernentia, quæque in cancellariis, conſiliis, cameris politiæ, juſtitiæ, finantiarum, feudorum, archivorumve Avenæ, Machlinii, vel in aliis locis dicto Domino Regi ſubjectis extant, bona fide tradantur iis qui à parte dictarum Provinciarum reſpective erunt deputati ad ea exigenda ; ſimiliter à parte dictorum Dominorum Ordinum fiat in uſum Provinciarum, urbium, & privatorum dicto Domino Regi ſubjectorum.

LXX.

Ius aquæ penes urbem Sluſam maneat, ita ut ei competit.

LXXI.

Agger injectus prope S. Donatum ad obſtructionem fluvii Soutæ, auferatur & aperiatur, ejuſque loco ſtruatur cataracta; & de ejus præſidio conveniatur, ut ante dictum eſt de demoliendis fortalitiis.

LXXII.

In hoc tractatu pacis ii qui ante ratificationem extra ditionem vel poſt eam intra tres menſes ab una vel altera parte nominabuntur, includantur: intraque illum terminum prædictus Dominus Rex quos ipſi viſum fuerit exprimat. A prædictis Dominis Ordinibus nominantur princeps Lantgravius Haſſiæ Caſſelienſis, cum ejus ſtatibus, urbibus & terris; Comes Ooſtfriſiæ; urbs Emda; Comitatus & terra Ooſtfriſicæ; Civitates Hanſeaticæ, & ſpecialiter Lubeca, Brema, Hamborgum: ſibique reſervant dicti Domini Ordines intra præfatum terminum alios, quos conſultum putabunt, nominare.

LXXIII.

Quantum ad prætenſionem Comitis de Flodrof, de reſtituendo ipſi Caſtello

ſtello Leuthio cum bonis ab eo dependentibus, aliiſque bonis & pagis circa illud ei competentibus, & nomine dicti Domini Regis occupatis, dicta reſtitutio ipſi fiat, ut & caſtelli ipſius: ita tamen ut intra concluſionem & ratihabitionem dicti tractatus de impenſis præſidii illic habendi nomine dicti Domini Regis, aut demoliendâ novâ fortificatione poſt injectum ibi præſidium extructâ, diſponatur.

LXXIV.

Quantum ad id quod octavo Decembris anni milleſimi quadrageſimi ſexti tractatum eſt inter extraordinarios Legatos & Plenipotentiarios prædictorum Dominorum Regis & Ordinum, concernens Rutgerum Huygens nomine uxoris ſuæ Domicellæ Annæ Margaretæ à Stralen, id eandem vim & effectum habeat, perficiaturque & executioni mandetur, tanquam ſi de verbo ad verbum inſertum fuerit præſenti tractatui.

LXXV.

Atque ut præſens tractatus eò melius obſervetur, promittant reſpectivè dicti Domini Rex & Ordines vires ac media ſua adhibere, quiſque in ſuo, ad conſervandam libertatem paſſuum,

mariſque & fluviorum ſecuram navigationem, contra incurſiones ſeditioſorum, piratarum, curſorum ac latronum, & ſi quos ceperint, ſeverè puniantur.

LXXVI.

Promittant inſuper nihil agere contra & in præjudicium hujus præſentis tractatus, neque ferre ut ab aliis id fiat directè vel indirectè, & ſi factum fuerit, reparandum curare ſine ullâ tergiverſatione aut morâ. Et ad obſervationem omnium eorum quæ ſupra ſcripta ſunt, reſpectivè ſe obligent (ipſe Rex & Ordines ſeſe & ſucceſſores ſuos) & ad certitudinem dictæ obligationis renuncient omnibus legibus, conſuetudinibus, & omnibus aliis cum eâ pugnantibus.

LXXVII.

Præſens tractatus ratus habeatur ac approbetur à dictis Dominis Rege & Ordinibus, & reciprocè literæ ratificationum ab unâ & alterâ parte extradantur in formâ debitâ intra duos menſes: & ſi dictæ ratificationes citius venerint, ab eo tempore ceſſent omnes hoſtilitates, tum actus inter utramque partem, ita ut ſpacium illud expectare non ſit opus: cum hac intentione, utà concluſione & ſignaturâ

turâ præſentis tractatus hoſtilitas non ceſſet antequam ratificatio dicti Domini Regis Hiſpaniæ in debitâ formâ fuerit producta, & cum ratificatione dictorum Dominorum Ordinum permutata.

LXXVIII.

Adeo ut interim res hinc inde manſuræ ſint in tali ſtatu, quali tempore concluſi præſentis tractatus reperiuntur; uſque dum ſupra dictæ ratificationes mutuò fuerint permutatæ & extraditæ.

LXXIX.

Dictus tractatus ubique & ubi decet ſtatim à permutatis & extraditis hinc inde Ratihabitionibus publicetur: & tum omnes hoſtilitatum actus ceſſent.

nec ratione quorumvis debitorum per defunctum Dominum Principem Guilielmum Auriacum ab anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo uſque ad mortem ejus contractorum, nec ratione onerum elapſorum durante captura & annotatione bonorum iis gravatorum.

LX.

Si qua contraventio fiat huic tractatui per aliquos privatos ſine juſſu dictorum Dominorum Regis aut Ordinum, damnum reparetur, præſertim in loco ubi contraventio facta fuerit, ſiquidem ibi capiantur, aut ubi habitant; ita ut alibi tamen nulla perſecutione in corporibus ſuis quovis modo afficiantur. Nec licitum eis ſit ad arma progredi aut pacis rupturam, ex eâdem cauſa; permiſſum tamen (in caſu denegatæ juſtitiæ manifeſto) eſto per litteras Repreſſaliarum, uti uſus obtinet, procedere.

LXI.

Omnes exhæredationes & diſpoſitiones in odium belli factæ pro nullis & non factis habeantur. Sub exhæredationibus odio belli factis intelligantur & illæ quæ factæ ſunt ex quacunque cauſa unde bellum exortum eſt & inde dependet.

Sub-

LXII.

Subditi & incolæ terrarum dictorum Dominorum Regis & Ordinum cujuſcunque qualitatis aut conditionis, declarati ſunto capaces ad ſuccedendum alterutri, tam ex teſtamento quam ab inteſtato, ſecundum conſuetudines locorum: Et ſi quæ ſucceſſiones antehac cuiquam acciderint, in ea conſerventur ac protegantur.

LXIII.

Omnes bello capti relaxentur, ab una & altera parte, ſine lytri ullius ſolutione, diſtinctione, aut exceptione captivorum qui extra Belgium militarunt & ſub aliis vexillis ſigniſve quam Dominorum Ordinum.

LXIV.

Solutio contributionum elapſarum, quæ tempore concluſi pacis tractatus præſtanda reſtiterit reſpectu perſonarum & bonorum unius alteriuſve partis, dirigatur & determinetur per eos qui ab una & altera parte ſuperintendentiam contributionum exercent.

LXV.

Non tendat nec ullo modo explicetur ad commodum vel detrimentum cujuſquam, directè vel indirectè, quicquid durante hac negotiatione ab una vel altera parte ore vel ſcripto

prolatum allegatumve fuerit : Sed tam dicti Domini Rex & Ordines generales & particulares, quam omnes alii Principes, Comites, Barones, Nobiles, cives aliique incolæ Regnorum & terrarum reſpectivè, cujuſcunque qualitatis aut conditionis, maneant in ſuis juribus, juxta contentum tractatus ejuſque concluſum.

LXVI.

Incolæ & ſubditi prædictorum Dominorum Regis & Ordinum reſpectivè realiter fruantur effectu decimi quinti præteritæ duodecennalis treugæ articuli. item effectu decimi conventionis ſeptimo Ianuarii anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſecutæ articuli, quatenus durante dictæ treugæ tempore præfatus effectus non fuerit ab una vel alterâ parte adimpletus.

LXVII.

Limites in Flandriâ & alibi tali modo ut ſub unius vel alterius juriſdictione pertinere arbitrabuntur, diſponantur : in quem finem expectentur & producantur informationes dictis limitibus ſuo tempore dirigendis.

LXVIII.

Nomine & à parte dicti Domini Regis demoliantur fortalitia circa Sluſam, S. Iobi, S. Donati, Stellatum, S. Tereſæ, S. Frederici, S. Iſabellæ,

bellæ, S. Pauli, & receptus Papenmutſii : & à parte dictorum Dominorum Ordinum ſequentia ; nempe utrumque fortalitium in Cadſandiâ Orange & Frederic nuncupata, item duo fortalitia ſuper Paſſu, omniaque ad partem orientalem Scaldis ſita (excepto Lilloo,) & fortalitium Spinola in Kieldrechto : de qua utrinque facienda demolitione inter partes conveniatur ad arbitrandam æquivalentiam.

LXIX.

Omnia regiſtra, tabulæ publicæ, chartæ, archiva, & papyri, ut & cauſæ proceſſuum, aliquos unitarum Provinciarum, ditionum aſſociatarum, urbium, membrorumve aut privatos incolas earum concernentia, quæque in cancellariis, conſiliis, cameris politiæ, juſtitiæ, finantiarum, feudorum, archivorumve Avenæ, Machlinii, vel in aliis locis dicto Domino Regi ſubjectis extant, bona fide tradantur iis qui à parte dictarum Provinciarum reſpective erunt deputati ad ea exigenda ; ſimiliter à parte dictorum Dominorum Ordinum fiat in uſum Provinciarum, urbium, & privatorum dicto Domino Regi ſubjectorum.

LXX.

Ius aquæ penes urbem Sluſam maneat, ita ut ei competit.

LXXI.

Agger injectus prope S. Donatum ad obſtructionem fluvii Soutæ, auferatur & aperiatur, ejuſque loco ſtruatur cataracta; & de ejus præſidio conveniatur, ut ante dictum eſt de demoliendis fortalitiis.

LXXII.

In hoc tractatu pacis ii qui ante ratificationem extra ditionem vel poſt eam intra tres menſes ab una vel altera parte nominabuntur, includantur: intraque illum terminum prædictus Dominus Rex quos ipſi viſum fuerit exprimat. A prædictis Dominis Ordinibus nominantur princeps Lantgravius Haſſiæ Caſſelienſis, cum ejus ſtatibus, urbibus & terris; Comes Ooſtfriſiæ; urbs Emda; Comitatus & terra Ooſtfriſicæ; Civitates Hanſeaticæ, & ſpecialiter Lubeca, Brema, Hamborgum: ſibique reſervant dicti Domini Ordines intra præfatum terminum alios, quos conſultum putabunt, nominare.

LXXIII.

Quantum ad prætenſionem Comitis de Flodrof, de reſtituendo ipſi Caſtello

ſtello Leuthio cum bonis ab eo dependentibus, aliiſque bonis & pagis circa illud ei competentibus, & nomine dicti Domini Regis occupatis, dicta reſtitutio ipſi fiat, ut & caſtelli ipſius: ita tamen ut intra concluſionem & ratihabitionem dicti tractatus de impenſis præſidii illic habendi nomine dicti Domini Regis, aut demoliendâ novâ fortificatione poſt injectum ibi præſidium extructâ, diſponatur.

LXXIV.

Quantum ad id quod octavo Decembris anni milleſimi quadrageſimi ſexti tractatum eſt inter extraordinarios Legatos & Plenipotentiarios prædictorum Dominorum Regis & Ordinum, concernens Rutgerum Huygens nomine uxoris ſuæ Domicelliæ Annæ Margaretæ à Stralen, id eandem vim & effectum habeat, perficiaturque & executioni mandetur, tanquam ſi de verbo ad verbum inſertum fuerit præſenti tractatui.

LXXV.

Atque ut præſens tractatus eò melius obſervetur, promittant reſpectivè dicti Domini Rex & Ordines vires ac media ſua adhibere, quiſque in ſuo, ad conſervandam libertatem paſſuum,

mariſque & fluviorum ſecuram navigationem, contra incurſiones ſeditioſorum, piratarum, curſorum ac latronum, & ſi quos ceperint, ſeverè puniantur.

LXXVI.

Promittant inſuper nihil agere contra & in præjudicium hujus præſentis tractatus, neque ferre ut ab aliis id fiat directè vel indirectè, & ſi factum fuerit, reparandum curare ſine ullâ tergiverſatione aut morâ. Et ad obſervationem omnium eorum quæ ſupra ſcripta ſunt, reſpectivè ſe obligent (ipſe Rex & Ordines ſeſe & ſucceſſores ſuos) & ad certitudinem dictæ obligationis renuncient omnibus legibus, conſuetudinibus, & omnibus aliis cum eâ pugnantibus.

LXXVII.

Præſens tractatus ratus habeatur ac approbetur à dictis Dominis Rege & Ordinibus, & reciprocè literæ ratificationum ab unâ & alterâ parte extradantur in formâ debitâ intra duos menſes: & ſi dictæ ratificationes citius venerint, ab eo tempore ceſſent omnes hoſtilitates, tum actus inter utramque partem, ita ut ſpacium illud expectare non ſit opus: cum hac intentione, ut à concluſione & ſignaturâ

turâ præſentis tractatus hoſtilitas non ceſſet antequam ratificatio dicti Domini Regis Hiſpaniæ in debitâ formâ fuerit producta, & cum ratificatione dictorum Dominorum Ordinum permutata.

LXXVIII.

Adeo ut interim res hinc inde manſuræ ſint in tali ſtatu, quali tempore concluſi præſentis tractatus reperiuntur; uſque dum ſupra dictæ ratificationes mutuò fuerint permutatæ & extraditæ.

LXXIX.

Dictus tractatus ubique & ubi decet ſtatim à permutatis & extraditis hinc inde Ratihabitionibus publicetur: & tum omnes hoſtilitatum actus ceſſent.

Sequitur contentum procurationis Plenipotentiariorum Domini Regis Hiſpaniæ.

PHilippus Dei gratiâ Rex Caſtellæ, Legionis, Arragoniæ, utriuſque Siciliæ, Hieroſolymæ, Portugalliæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valenciæ, Galliciæ, Majoricæ, Minoricæ, Sevilliæ, Cerdenæ, Cordubæ, Corregæ, Murciæ, Iaënæ, Algerbiorum, Algericæ, Gibalterræ, Inſularum Canariæ, Indiarum Orientalis & Occidentalis, Inſularum & Terrarum firmarum Oceani; Archidux Auſtriæ; Dux Burgundiæ, Brabantiæ, & Mediolani; Comes Habsburgi, Flandriæ, Tirolis, & Barcinonæ; Dominus Biſcayæ & Molinæ, &c. Quandoquidem ſummopere deſiderans introducere quietem & tranquillitatem ſubditorum & habitantium Provinciarum Belgicarum, ut releventur à tam longo & crudeli bello, tantoque melius perveniatur ad Pacem generalem Europæ bono publico Chriſtianitatis, ſelectâ ad congreſſum & negotiationem dictæ pacis, communi conſenſu, urbe Monaſterienſi in Weſtfaliâ, conveniens putavi nominare

minare perſonas, quæ meo nomine aſſiſtant cum omni autoritate & plenipotentiâ dicto congreſſui, & ſpeciatim cum Ordinibus liberarum Belgii provinciarum unitarum, aut eorum Legatis & Plenipotentiariis ſeparatim autoritate Deputatis, certus de ſufficientiâ, integritate, prudentiâ experientiâ, intelligentiâ, & erga meum ſervitium bonumque & quietem univerſæ Chriſtianitatis Zelo; Dom. *Gaſparis de Bracamonte & Guzman*, Comitis Penerandæ, Nobilis meæ Cameræ, Conſiliarii meæ Cameræ & juſtitiæ, & mei in Germaniâ Legati Extraordinarii; Fratris *Ioſephi de Bergaigne*, Archiepiſcopi Cameracenſis; & *Antonii Brun*, Conſiliarii conſilii mei ſupremi Flandrici; & propter ſatisfactionem quam ſemper mihi dederunt in diverſis magnis negotiis, ipſis commiſſis, & per eos expeditis. Ideo confidens planè, eos ſimul junctos, & unumquemque ſeparatim, abſente vel impedito uno vel altero, allaboraturos quam poterunt maxime ad commodum Chriſtianitatis & meum; eos conſtitui meos Legatos & Plenipotentiarios, & vi præſentium iis do omnibus ſimul & unicuique eorum, abſente vel impedito ipſorum aliquo,

ſeparatim integram & abſolutam poteſtatem, ad faciendam aperturam Ordinibus dictarum provinciarum liberarum Belgicarum, aut earum Legatis & Plenipotentiariis, ſpecialiter ad hoc authoriſatis & conſtitutis, & ad audiendum quod ſpectet ad pacandum ſupradictum longum & crudele bellum, in provinciis Belgicis excitatum, & ea quæ inde originem aliis quoque dederunt in regionibus & maribus contra dictos Ordines Generales; & conſequenter de iis cum dictis Ordinibus Generalibus dictarum Provinciarum unitarum liberarum, aut eorum Legatis & Plenipotentiariis intrare negotiationem, conferre, proponere, convenire, capitulare, & concludere bonum, firmum, & inviolabilem tractatum quietis ſive Pacis ſive Treugæ: promittens pro me, & ſucceſſoribus meis, habiturum me firmum & validum præcisè & punctualiter ſine ullo defectu, omne id quod per dictos meos Legatos & plenipotentiarios, conjunctos ſimul vel abſente aut impedito eorum aliquo, ſeparatim, fuerit conventum & capitularum dicto tractatu, cum dictis Ordinibus Generalibus aut Legatis & Plenipotentiariis ſupradictarum Provinciarum Unitarum liberarum;

rum; meque id approbaturum & ratum habiturum, intra terminum mutuo consensu exprimendum, cum confirmatione juramenti omniumque aliarum solennitatum tali casu necessariarum & consuetarum. In quorum fidem præsentes manu & sigillo meo secreto, ut & relatione infrascripti mei Status Secretarii firmatas expediri mandavi. Datæ Cæsar-Augustæ, septimo Iunii, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto. Ego Rex. Petrus Coloma. Sigillatæ sigillo Regis in obeliâ rubrâ papyro obtectâ.

Sequi-

Digitized by Google

Sequitur tenor Procurationis Plenipotentiariis Dominorum Ordinum Generalium data.

ORdines Generales Unitarum Belgii provinciarum omnibus qui hanc legent aut legi audient, ſalutem. Notum faciimus, quum antehac in omnibus occaſionibus vera & ſincera nos voluntate & intentione affectos oſtendimus, ut longum, damnoſum, & ſanguineum bellum in Belgio multis ab annis excitatum & hactenus perdurans aſſopiretur communi earum provinciarum bono, & ſolamini bonorum incolarum, ac proinde etiam evaneſcerent in aliis procul ſitis regionibus aut maribus exorta bella quæ ex Belgicis contra adverſarium noſtrum originem traxerunt: Electo communi conſenſu oppido Monaſterienſi in Weſtfalia ad conventum & negotiationem quietis in orbe Chriſtiano generalis ſtabiliendæ, conſultum duximus deputare Viros, qui omni autoritate & plena potentia muniti præfato conventui aſſiſtant, ac pacare longum iſtud damnoſum & ſangui-

guineum in Belgio excitatum bellum juvent. Propterea planè confisi sapientiæ, prudentiæ, peritiæ, fidei, ac erga præfatas provincias unitas zelo Dominorum, *Bartoldi à Gent*, Domini in Loenen, & Meinertswyck, prætoris ac Dyckgravii Bommeliæ, Tilanæque ac Bommelanæ Insularum, Deputati in nostra congregatione à membro nobilitatis Geldricæ; Domini *Iohannis à Matheneſſe*, Domini in Matheneſſe, Riviræ, Opmeræ, Soutevenæ, &c. Consiliarii commissi ex Ordine Equestrium & Nobilitatis Hollandiæ & Westfrisiæ, Hoochheemradii Schielandiæ; Domini *Adriani Pauvv*, Equitis, Domini in Heemstede, Hogelsmidæ, Rietwici, Nieuwerkercke, &c. Primi Præsidis & rationum Magistri Comitatus Hollandiæ & Westfrisiæ; Domini *Iohannis de Knuyt.*, Equitis, Domini veteris & novi Vosmarii, primi & repræsentantis Nobilitatem inter Ordines Comitatus Zelandiæ, Ordinarii Consiliarii celsitudinis Domini principis Auriaci; Domini *Godarti à Reede*, Domini in Neederhorst, Vreedelant; Cortehoef, Overmeer, Horstwaert, &c. Deputati in nostra congregatione ab Equestribus & Nobilitate Ultrajectinâ; Domini *Francisci à Donia*, Domini

ni de Himnema in Hielſum; Domini *Guilielmi Ripperda*, Domini in Hengelo, Boxbergen, Boculo, & Ruſſenborg, &c. Deputati in noſtrâ congregatione ex Equeſtribus & Nobilibus Tranſyſulanis; Domini *Adriani Clanth*, de Steedum, Domini in Nitterſum; reſpective Deputatorum in noſtrâ congregatione & legatorum extraordinariorum in Germaniâ; Damus iiſdem ſimul aut majori ſaltem eorundem parti (abſentibus vel impeditis reliquis) plenam poteſtatem, autoritatem, generale & ſpeciale mandatum, ut noſtro nomine & loco, tanquam plenipotentiarii hujus ſtatus in dicta civitate Monaſterienſi audiant & excipiant à Dominis Plenipotentiariis Potentiſſimi ac Excellentiſſimi Principis Domini *Philippi quarti* Regis Hiſpaniæ aperturam eorum quæ dicti Domini Plenipotentiarii præfati Domini Regis proponent ad tollendum prædictum longum, pernitioſum & ſanguineum bellum in provinciis Belgicis excitatum, & ea quæ inde originem ſumſerunt contra noſtrum adverſarium in aliis procul diſſitis locis in maribus, & ſecundum ea cum dictis plenipotentiariis negotiationem ingredi, ac concludere bonum, firmum, ſin-

cerum-

cerumque tractatum pacis, prout dicti hujus Reipublicæ Plenipotentiarii maximè ului & bono unitarum provinciarum, incolarumque bonorum ipſarum, & eorum qui ipſis ſunt aſſociati, & quorum intereſt bellum ſopiri, cenſebunt fore; Promiſimuſque ac promittimus vigore hujus bonâ fide, ad id nos noſtroſque ſucceſſores obligando tam generaliter quam ſpecialiter, in perpetuum ratum nos habituros quicquid per dictos noſtros plenipotentiarios in hâc re conventum concluſumque fuerit, id ipſum approbaturos, inviolabiliter obſervaturos, & ut obſervetur curaturos; non facturi vel toleraturi ut unquam contra id à quoquam quid fiat quocunque modo directè vel indirectè. In cujus fidem haſce confirmavimus Parafurâ, Sigilloque noſtro magno, & graphiarii noſtri ſignatura corroborari fecimus. In noſtra congregatione Hagæ Comitis. Paraf. erat Iohannes à Reede vidit. In plicatura erat ſcriptum: Mandato celſorum & potentium Dominorum Ordinum Generalium. Signatum, Cornelius Muſch. Inferius pendebat magnum ſigillum Dominorum Ordinum Generalium in cera rubra, ex duplici nexâ ſerico & auro chordâ.

In

In teſtimonium omnium quæ ſupra ſcripta ſunt, nos Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii dictorum Dominorum Regis Hiſpaniæ, &c. & Ordinum Generalium Unitarum Provinciarum vigore noſtrarum, reſpectivè procurationum, præſentem tractatum ſubſignavimus & ſigillo armorum noſtrorum firmavimus. Actum Monaſterii in Weſtfalia, trigeſimo Ianuarii, annomilleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo. Signatum & ſigillatum erat:

L.S. El Conde de Peneranda

L.S. A. Brun.

L.S. Bartoldus à Gent.

L.S. Io. à Mathenesſe.

L.S. Ad. Pauvv.

L.S. de Knuyt.

L.S. G. à Reede.

L.S. F. à Donia.

L.S. Gu. Ripperda.

L.S. Ad. Clanth.

Sequi-

Sequitur Ratificatio Regis Hiſpaniæ.

PHilippus quartus Dei gratia Rex Caſtellæ, Legionis, Arragoniæ. Siciliæ utriuſque, Hieroſolymæ, Portugalliæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galiciæ, Majoricæ, Minoricæ, Seviliæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Iaënæ, Algarbæ, Agericæ, Gibalterræ, Inſularum Canariæ, Indiarum Orientalis & Occidentalis, Inſularum & Terræ Firmæ maris Oceani; Archidux Auſtriæ; Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani; Comes Habsburgi, Flandriæ, Tirolis, Barcinonæ; Domini Biſcajæ, Molinæ, &c. omnibus qui haſce videbunt, ſalutem. Quandoquidem ad relevandas à bello, quo tot annos fuerunt gravatæ, Belgicas provincias, eaſque à moleſtiis & miſeriis inde ortis liberandas, & ad quietem, florem & proſperitatem producendas, aſſopiendoſque etiam ad longius diſſitas regiones & maria protenſos motus, Nos jamdudum optavimus pervenire ab bonam cum Dominis Ordinibus Generalibus Unitarum Provinciarum pacem, ad conſolationem omnium

mnium eorum, qui hinc inde incommoda dicti belli ſenſerunt; & communi conſenſu ſelecta ad id urbe Monaſterienſi in Weſtfalia ad conventum tractandæ Pacis; Sortita eſt negotiatio præfata tam felicem ſucceſſum, ut noſtri Extraordinarii Legati & Plenipotentiarii, vigore noſtri Mandati, cum Extraordinariis Legatis & Plenipotentiariis dictorum Dominorum Ordinum perfecerint & concluſerint tractatum pacis hic de verbo ad verbum inſertum.

Quem tractatum ſupra ſcriptum & inſertum, nobis, repræſentatum, poſtquam totus viſus & in conſilio noſtro maturè examinatus eſſet, pro nobis, hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris, nec non Vaſallis, ſubditis, & incolis noſtrorum Regnorum, ditionum, & Dominiorum tam intra quam extra Europam, ſine ulla exceptione in omnibus membris, & totum ejus contentum, & quodcunque ejuſdem punctum ſeparatim, ut bonum, firmum, & ſtabilem approbavimus, ratificavimus, & acceptavimus, approbantes, ratificantes & acceptantes per has præſentes, promittentes Regiâ & Principis fide & verbis, pro nobis, noſtris ſucceſſoribus, Regibus; Principibus, & hæredibus, ſincerè & bona

fide

fide omnia inviolabiliter & ad amuſſim, juxta formam, & contentum, nos obſervaturos, ſecuturos & perfecturos, & curaturos ut obſervetur, perficiaturque, eo modo, tanquam ſi ipſi in propria perſona tractaſſemus; ita ut nullatenus contra ea fiat directè vel indirectè, nec toleraturos ut ab aliis quocunque modo contra fiat. Et ſiquidem ulla contraventio facta ſit vel adhuc fieret quovis modo, illud nos reparaturos, ſine ulla difficultate vel mora; etiam contraventores omni rigore ſine ulla gratia aut indulgentia punituros, & curaturos ut puniantur; eo fine obligantes omnia & ſingula noſtra regna, Regiones & Dominia, ut & omnia alia noſtra bona, præſentia & futura, ut & hæredes, ſucceſſores, poſteroſque noſtros, pariterque omnes noſtros Vaſallos, ſubditos, & incolas, omnium noſtrorum Regnorum, terrarum, & Dominiorum, quocunque in loco, intra vel extra Europam, nullo exempto. Et ad certitudinem dictæ obligationis renunciamus omnibus legibus, conſuetudinibus & exceptionibus contra facientibus. In fidem quorum juſſimus expediri præſentes, noſtra manu ſubſcriptas, & ſecreto noſtro

ſigillo firmatas, ſignataſque manu noſtri Secretarii Status. Datum

. . . . . .

. . . . . .

Sequitur ratificatio Celſorum & potentium Dominorum Ordinum generalium.

ORdines generales unitarum Belgii Provinciarum omnibus qui haſce patentes litteras videbunt, ſalutem. Quandoquidem omni occaſione eam habuimus intentionem, ut longum illud, exitioſum, & ſanguineum bellum Belgicum, extenſum ad alias quoque procul ſitas terras & maria, finiretur & extingueretur in honorem Dei patris, autoris, & procuratoris pacis, & ad conſolationem tot inopum afflictarum animarum, quæ miſerè incommodis & difficultatibus belli premebantur, & amaritudinem ejus guſtabant, ſimul ut Belgicæ Provinciæ reſtituantur ad quietem, ſplendorem, & proſperitatem: mutuo autem conſenſu omnium eorum quorum intereſt quum electa eſſet urbs Monaſterienſis in Weſtfalia

ad

ad conventum & tractatum pacis: Divina bonitas labori & curæ Extraordinariorum noſtrorum Legatorum & Plenipotentiariorum in negotiatione cum extraordinariis Legatis & Plenipotentiariis Regis Hiſpaniæ &c. *D. Philippi Quarti* ita benedixit, ut poſt varios congreſſus hinc inde deſuper habitos fecerint ac concluſerint tractatum pacis, hic de verbo ad verbum inſertum.

Quem tractatum ſupra ſcriptum & inſertum nobis relatum & exactiſſimè perpenſum, poſt maturam deliberationem nomine & vice totius ſtatus unitarum Belgii Provinciarum, aſſociatarum terrarum, Dominiorum, civitatum, & membrorum ejus, ut & omnium ditionum nobis obedientium, Vaſallorum, ſubditorum & incolarum tam intra quam extra Europam, nullis exemtis, totum cum omnibus ejus contentis, & unumquodque ejus punctum ſeparatim, in omnibus ejuſdem membris, ut bonum, firmum & ſtabilem acceptavimus, approbavimus & ratum habuimus, acceptamus, approbamus & ratum habemus per haſce præſentes: promittentes ſincerè & bonâ fide, inviolabiliter & examuſſim juxta formam & contentum nos eum obſervaturos, ſecun-

cururos & perfecturos, etiam curaturos ut alii id ſequantur, obſervent & perficiant, in omni modo, tanquam ſi nos ipſi in noſtrâ congregatione, ſtylo & modo Ordinum tractaſſemus, ita ut nihil contrà facturi, vel toleraturi ſimus ut ab aliis fiat, directè vel indirectè, quolibet modo. Quod ſi verò aliqua contraventio facta fuerit, aut deinceps fieret quocunque modo, curaturos nos ut reparetur, ſine ulla tergiverſatione aut mora, etiam contraventores ſine gratia vel conniventia ſevere puniantur. Obligantes eo fine omnes & ſingulas unitas Provincias, aſſociatas terras, Dominia, urbes ac membra earum, ut & omnes Vaſallos, ſubditos, & incolas inde dependentes, tam intra quam extra Europam, nullis exemtis: & in firmitatem ejus obligationis renunciamus omnibus legibus, conſuetudinibus omnibuſque aliis rebus contra repugnantibus. In fidem quorum præſentes has expediri fecimus noſtra paraphura, & ſignatura noſtri Graphiarii, & magno ſigillo noſtro muniri, in noſtra congregatione Hagæ in Provincia Hollandiæ, decimo octavo Aprilis, anno milleſimo, ſexenteſimo, quadrageſimo octavo. Erat paraph. *Io. Andrée.* Et inferius ſcriptum erat: Ex manda-

to Alté memoratorum Ordinum generalium. Signatum, *Cornelius Muſch.* Inferius pendebant à chorda auro & ſerico connexa, inſignia ſæpius Alté-memoratorum Dominorum Ordinum generalium, in cera rubra, capſula argentea incluſa; in tegmine cujus erat inciſus Leo cum ſeptem ſagittis in ſiniſtra, & gladio in dextrâ.

Digitized by Google

Publicatio pacis trigesimo Ianuarii currentis anni millesimi sexcentesimi quadragesimi octavi solemniter concluſæ Monasterii VVestfaliæ inter serenissimum & potentissimum Principē D. Philippum Quartum ejus nominis Regem Hispaniæ &c. ab una; & Celsos ac potentes Dominos Ordines generales ab altera parte; cujus ratificatio reciproca debita forma decimo quinto hujus in magno dicti Monasterii atrio apertis januis fuit permutata, dictusque consequenter Tractatus solemni juramento confirmatus.

UNicuique per hasce notum facimus, ad gloriam & honorem Dei Domini omnipotentis, prosperitatem & commodum rei publicæ harum unitarum Belgii Provinciarum in genere, bonorumque incolarum in specie, trigesimo Ianuarii cur-

currentis anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi octavi factam & concluſam eſſe Monaſterii Weſtfalorum bonam, firmam, fidelem, & inviolabilem Pacem inter altiſſimé-memoratum Regem *D. Philippum Quartum* &c. ab una; & alte-memoratos Dominos *Ordines generales* ab altera parte: ſuper qua reciproca Ratificatio debita forma quindecimo hujus menſis in magno atrio Monaſterii prædicti apertis januis fuit extradita, præfatuſque conſequenter Tractatus ſolenni juramento firmatus, & tam mari aliiſque aquis quam terrâ in utriuſque reſpectivè regnis, ditionibus, terris, dominiis & pro omnibus eorum ſubditis ac incolis, cujuſcunque qualitatis aut conditionis, ſine exceptione locorum aut perſonarum, incipiente dictâ pace à decimo quinto hujus menſis, à quo die omnes actus hoſtilitatis hinc inde debuerunt ceſſare, ubique tam in Europâ quam alibi, extra limites antehac per ſæpius altè memoratos Ordines Generales indultos vigore Privilegiorum reſpectivè Societatibus Indiarum Orientalis & Occidentalis uniti Belgii conceſſorum. Sed quantum ad privilegium Societatis Indiæ Orientalis; intra ejus diſtrictum, dictam pacem non

prius inceptura quam trigesimo Ianuarii anni millesimi sexcentesimi quadragesimi noni: hoc est post annum à die conclusæ Pacis. & quod ad limites Societatis Indiæ Occidentalis: ibi non incepturam pacem nisi quindecimo Novembris anni currentis: post sex nempe menses ab extraditâ super Tractatu Pacis, ratihabitione. Ita tamen, ut, si nomine publico hinc inde nuncius pacis hujus citius intra dictos respectivè limites advenerit, à die adventus cessaturam hostilitatem, pacemque incepturam, ac effectum nacturam. Quod si autem post dictum anni & medii anni respectivè terminum, intra dictos limites dictorum respectivè Privilegiorum, actus aliqui hostilitatis fuerint facti, damnum sine morâ reparandum fore: Ac proinde notificationes dictæ pacis & cessationis hostilitatis tam ad indias Orientalem quam Occidentalem, & alia loca sub districtu dictorum privilegiorum faciendas quam fieri possit citissimè. Itaque mandamus & jubemus per hasce diserte, nomine sæpius altè-memoratorum D. Ordinum Generalium omnibus & singulis, obedientiæ eorum subjectis, ut prædictam pacem intra prædictos respectivè limites in formâ præfatâ

inviolabiliter obſervent; ne quicquam contrà fiat, ſub pœnâ perturbatæ communis quietis ſine ullâ gratiâ, favore, vel diſſimulatione. Ita arreſtatum & concluſum in conventu Celſorum & Potentium Ordinum Generalium. Hagæ die decimo nono Maii anno milleſimo, ſexcenteſimo quadrageſimo octavo. Erat Paraph. *A. de Bouckhorſt* vidit. Inferius. Ex mandato eorundem. Signatum. *Cornelius Muſch.* in ſpacio impreſſum erat ſigillum D. Ordinum in cerâ rubrâ.

Nomi-

Nominatio eorum, quos à ſuâ parte, Pacis Tractatui includit Rex Hiſpaniæ.

A parte Domini Regis Hiſpaniæ erunt in hoc Tractatu Pacis inter ſuam Majeſtatem & Dom. Ordines Generales Unitarum Belgii Provinciarum facto, incluſi Dom. *Imperator*, Dom. *Rex Boëmiæ* & *Hungariæ*, cum Dom. Archiduce *Leopoldo Guilielmo*, Fratre dicti D. Imperatoris, & in qualitate Capitis & magni Magiſtri Ordinis Teutonici, Dom. *Archiduces* ejus Agnati cum ſuis principatibus & terris, Domini *Electores* & *Principes*, *Civitates* & *Status S. Rom. Imperii*, *Comes Oldenburgicus*, cum Comitatibus, Baronatibus & terris ad eum pertinentibus, *Comes Svvartzenbergicus*, cum ſuâ terrâ & Dominio de Huſſen, & urbes Hanſeaticæ: abſque præjudicio aliorum quos viſum erit dicto Domino Regi nominare adhuc intra terminum art. ſeptuageſimo ſecundo dicti tractatus expreſſum. Actum Monaſterii 15. Maii, 1648. ſignatum & ſigillatum.

L. S. El Conde de Penerande.

L. S. A. Brun.

In-

Incluſio Principis Iohannis Anhaltini.

TErmino, articulo 72. tractatus Pacis inter Dominos Regem Hiſpaniarum & Ordines Generales Unitarum Belgii Provinciarum facti, expreſſo ad nominandos quos dicto tractatui includere placuerit, necdum elapſo, nominatur adhuc à parte dicti Domini Regis Princeps *Iohannes de Anhalt*, lineæ Serveſtanæ, ut includatur cum ſuis bonis terris & dominiis. Datum Monaſterii die 24. Iunii 1648. Signatum, *Comes Penerandæ. A. Brun.*

A parte Dominorum Ordinum, præter eos qui Art. 72. ſupra memorato ſunt expreſſi, nominati ſunt & ſequentes.

A parte Dom. Ordinum Generalium Unitarum Belgii Provinciarum comprehenſus eſto in Tractatu Pacis inter Dominos Regē Hiſpaniæ & dictos Ordines, præter jam nominatos in articulo 72. dictæ pacis, Comes *Iohannes Albertus de Solms*,

Digitized by Google

Solms, gubernator Trajecti ad Mosam, cum urbibus, castellis, ditionibus, terris & dominiis, eorumque incolis: sine præjudicio aliorum adhuc intra terminum dicto artic. 72. expressum, nominandorum. Actum Monasterii die 8. Iulii 1648. Signatum & sigillatum,

L.S. B. de Gent. *L. S. I. de Matheneſſe.*

L.S. Adr. Pauvv. *L.S. W. Ripperda.*

L.S. A. Clant.

Inclu-

Incluſio Comitis Bentheymenſis, &c.

A parte Dominorum Ordinum Generalium Unitarum Belgii provinciarum, incluſus ſit in tractatu pacis inter Dominos Regem Hiſpaniæ & dictos Ordines factæ, (præter jam art. 72. dicti tractatus nominatos) Comes *Erneſtus Guilielmus* de Benthem, Steynfurdt, &c. cum ſuis urbibus, caſtellis, ditionibus, terris & dominiis, eorumque incolis: ſine præjudicio aliorum adhuc à parte dictorum D. Ordinum intra terminum dicto art. 72. expreſſum, nominandorum. Actum Monaſterii die 8. Iulii 1648. Signatum & ſigillatum,

L.S. B. à Gent. *L.S. Io. à Mathenesſe.*

L.S. Adr. Pauvv. *L.S. Gu. Ripperda.*

L.S. Ad. Clant.

Incluſionem eam Dominos Ordines quoque per ablegatum enixe oravit Comes Oldenburgicus: ſed per decreta 23. Maii & 6. Auguſti anno 1648.

Digitized by Google

1648. denegatum ei fuit: ob affectatum ab ipso jam multis retrò annis Telonium in Visurgi in odium & ad oppressionem commerciorum, præcipuè hujus Status, & in præmium præstiti olim Cæsareæ Majestati insignis ab avo Comitis, servitii & auxilii. ut inter causas petiti Telonii Cæsari Matthiæ anno 1612. exhibitas diserte Comes ponit.

Sepa-

Separatus Regis Hiſpaniæ cum Principe Auriaco tractatus die 27. Decembris 1647. ſignatus.

QUandoquidem Princeps Auriacus præter ea de quibus dicetur & diſponetur in tractatu pacis per Legatos extraord. & Plenipotentiarios Regis Hiſpaniæ & Ordinum Generalium uniti Belgii, diverſas habuit actiones & prætenſiones, de quibus huc uſque nullatenus ipſi fuit ſatisfactum, ac ideo deſideravit eas dicto tractatu promovere, ipſæ autem conſiſtebant in diverſis computorum & liquidationum ſpeciebus, de quibus ſeparatim facilius tranſigeretur; dictus Princeps communicato cum Legatis extraord. & Plenip. Unitarum Provinciarum conſilio, putavit conſultum tractare ſeparatim cum dictâ ſuâ Majeſtate, ad procurandam ſibi ſatisfactionem.

Proinde Dom. *Gaſpar de Braccamonte & Guſman*, Comes Penerandæ, Nobilis Cameræ dictæ ſuæ Majeſtatis, ipſi à Conſiliis Cameræ & Iuſtitiæ, ejuſque Legatus extraordinarius in Germaniam, & primarius ad tra-

ctatus Pacis generalis Plenipotentiarius, &c. nomine dictæ ſuæ Majeſtatis, & Dom. *Iohannes de Knuyt*, Eques, Dominus veteris & novæ Voſmariæ, primarius & repræſentans Nobilitatem in conventu Ordinum Zelandiæ, Legatus extraord. & Plenipotentiarius Ordinum Generalium uniti Belgii ad tractatum pacis, & dicto Principi Auriaco à conſiliis, nomine dicti Principis, poſt varias collationes & propoſitiones tandem convenerunt modo qui ſequitur.

Ad extinguendas ſcilicet omnino omnes quas dictus Dom. Princeps habuit actiones & prætentiones adverſus ſuam dictam Majeſtatem, ipſa remittit & cedit dicto Dom. Principi, aut eo ante concluſionem & ratihabitionem dicti pacis tractatus, moriente, illius hæredibus & ſucceſſoribus, aut jus habentibus, terras & dominia *Montfortii*, circa *Ruræmondam*, & *Turnhoutæ* in Brabantia ſitæ, cum omnibus appendentiis, juribus, & juriſdictionibus, nihil reſervato. Præſuppoſito autem, reditus terræ Montfortianæ aſcendere ad viginti quinque mille fiorenos annuos, & Turnhoutanæ ad duodecim mille, cautum eſt, ſi quid iſtis reditibus deſit, ut nomine dictæ ſuæ Majeſtatis augean-

augeantur ad dictas ſummas viginti quinque & duodecim millium fiorenorum annuorum reſpectivè. Cedet inſuper dicta Majeſtas Dominæ Principiſſæ Auriacæ urbem & Dominium *Sevenbergæ* cum omnibus juribus, juriſdictionibus, & reditibus inde dependentibus, promittitque dicta ſua Majeſtas ſolvere & ſatisfacere omnibus jus aliquod in tres dictas terras, urbem, & Dominia habentibus, aut de iis aliquid poſſidentibus, obligat quoque dicta ſua Majeſtas liberare dictas partes ab omnibus reditibus redemtioni obnoxiis, pecuniâ fœneratitiâ, oppignorationibus, & omnibus aliis oneribus, ita ut dictus Dominus Princeps, & dicta Domina Principiſſa ejus uxor, eorum hæredes, ſucceſſores, aut jus habentes, ita ut dictum eſt gaudeant libere, & plane iis potiantur.

Ea tamen conditione, ut in feudum à ſua Majeſtate teneant dictas omnes terras, exceptis iis quæ ab aliis in feudum tenentur, & ut religio Catholica in iis conſervetur, uti nunc illic eſt, & Eccleſiaſtici in ſuis bonis, functionibus, liberis exercitiis, & immunitatibus.

Pro quibus ceſſionibus dictus Dominus de *Knyt* nomine dicti Princi-

cipis, aut, eo, ante ratificationem dicti tractatus pacis, decedente, nomine ejus hæredum, ſucceſſorum aut jus habentium, promittit cedere omnibus actionibus & prætenſionibus quas dictus Princeps habuerit contra ſuam Majeſtatem aut ejus ſubditos.

Et quamvis articulo viceſimo quarto pacis fuerit cautum, eos, quorum bona erunt occupata & fiſco addicta ob cauſam belli, iis, durante pace, fruituros, & poſſeſſionem adepturos, propriâ autoritate, & vigore præſentis tractatus, nec opus habeant ob id recurrere ad juſtitiam, non obſtante qualibet in fiſcum incorporatione, oppignoratione, donationibus, tractatibus, & tranſactionibus, quibuſcunque renuntiationibus eæ tranſactiones ad excludendos à parte eorum bonorum eos quibus ea competunt, fuerint munitæ.

Eo non obſtante conventum eſt ut dictus Princeps, aut illo ante concluſionem & ratificationem ſupradicti tractatus pacis emortuo, ejus hæredes, ſucceſſores aut actionem habentes, manebunt in poſſeſſione & fruitione *Marchionatus Bergozomani*, quatenus cum hoc tempore dictus Princeps poſſidet. Sicuti & dictus Princeps

ceps ejuſve hæredes, uti dictum eſt, mittentur à ſua Majeſtate in plenam poſſeſſionem & fruitionem portionis reſtantis dicti *Marchionatus Bergozomani*, quam jam non poſſidet: idque quam primum tractatus pacis fuerit ratificatus. Cujus loco & ad præſtandum dicti Marchionatus valorem, ſua Majeſtas mittetur in plenam poſſeſſionem & uſumfructum bonorum ſequentium dicto Principi propriorum: nempe urbis & Baronatus *Dieſtenſis*, item urbis & terræ *Sichemienſis* & *Montisacuti*, item liberæ ſatrapiæ *Meerhoutanæ* & *Vorſtii*, item liberæ ſatrapiæ *Heerſtallæ*, item Baronatus *Grimbergæ*, item urbis & Baronatus *Warnetonii*, cum omnibus quæ inde dependent, item *Domus* quam dictus Princeps habet Bruxellæ, idque eo uſque donec à ſua Majeſtate procurata erit efficax permutatio dicti Marchionatus omniumque inde dependentium, cum dictis præfati Principis bonis: & dicta permutatione facta, manebit in perpetuum dictus *Marchionatus* penes prædictum Principem, ejus hæredes, ſucceſſores aut jus habentes: aliaque prædicta bona penes ſuam Majeſtatem, aut eum cui dictus *Marchionatus* deberet cõpetere: promittitque dictus Comes *Penerandæ*, nomine

ſuæ Majeſtatis dictam efficacem permutationem ſe procuraturum intra decem, à ratificato pacis tractatu, menſium terminum.

Nomine ſuæ Majeſtatis etiam efficacia adhibebuntur officia apud ſuam Majeſtatem Cæſaream, ut terra *Meurſiana* dicto Principi competens augeatur aliqua terra in Imperio circa eam ſita, quæ decies mille florenos annuos valeat, & ut conjunctim in ducatum erecta, deinceps teneatur & relevetur in feudum Imperii.

Omnia autem hæc ea conditione, ne, ante concluſionem dicti pacis tractatus, præſens tranſactio ſit obligatoria: dicta autem concluſione facta, ut integrè & examuſſim ea compleatur, efficiatur, & obſervetur, eodemque cum dicto pacis tractatu valore.

Actum Monaſterii, octavo Ianuarii anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Signatum, *Comes de Peneranda*, *Fr. Ioſephus Archiep. Cameracenſis*, *I. de Knuyt.*

Subſignati *Archiepiſcopus Machlinienſis*, *Epiſcopus Antverpienſis*, & *Prælati*, omnes membra primi ordinis ducatus Brabantiæ, viſo & examinato tractatu & conventione factis Monaſterii menſe Ianuario proximè elapſo inter

inter Comitem *Penerandæ* tanquam Legatum extraordinarium & primarium Plenipotentiarium pro pace generali, nomine ſuæ Majeſtatis ab una, & D. *Iohannem de Knuyt*, equitem, Dominum veteris & novæ Voſmariæ, Legatum extraordinarium Dominorum Ordinum generalium uniti Belgii ad dictum tractatum pacis nomine defuncti principis Auriaci ab altera parte; concepto & ſubſignato ſupradicto tractatu tam per dictos contrahentes quam per Dominum *Archiepiſcopum Cameracenſem*, Legatum extraordinarium & Plenipotentiarium ſuæ Majeſtatis; prædicti ſubſignati, ad requiſitionem Sereniſſimi Principis *Leopoldi Guilielmi* Archiducis Auſtriæ &c. nomine ſuæ Majeſtatis locum tenentis & gubernatoris generalis in Belgio & Burgundia, promiſerunt & promittunt per haſce, ſe curaturos ut ſua Majeſtas compleat ſupradictū tractatum juxta formam & tenorem ejus. Actum Bruxellæ die triceſimo Auguſti anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo. *Iacobus Archiep. Machlinienſis*, *Iaſpar Epiſcopus Antverpienſis*, *Chryſoſtomus Abbas ſancti Michaëlis*, *Chriſtoforus Abbas Grimbergenſis*, *Auguſtinus Abbas Tongerlous*, *Martinus*

Abbas de Deligem, Wynandus de la Mayelle, Abbas S. Geertrudis.

Cum *Gaſpar de Braccamonte & Guſman*, Comes Penerandæ, Nobilis ſuæ Majeſtatis Hiſpaniæ ex Conſilio Cameræ & Iuſtitiæ, ejus Legatus extraordinarius in Germaniam, & primus Plenipotentiarius ad tractatum pacis generalis, nomine & vice dictæ ſuæ Majeſtatis; & Dom. *Iohannes de Knuyt* &c. Dominus veteris & novæ Voſmariæ, & repræſentans nobilitatem in Conſeſſu Ordinum Zelandiæ, Legatus extraordinarius & Plenipotentiarius Ordinum generalium Uniti Belgii ad tractatum pacis, Conſiliarius defuncti Principis Auriaci, vice & nomine dicti Principis, fecerint certum contractum datum 8 Ianuarii 1647, de prætenſionibus quas dictus Princeps habebat adverſus dictam ſuam Majeſtatem, & poſtea dictus Dominus Princeps mortem obierit, dicti Domini contrahentes, dictus nempe Dominus Comes *Penerandæ*, nomine ſuæ Majeſtatis & dictus Dominus *de Knuyt* nomine Domini Principis Auriaci, nunc denuo tranſegerunt & convenerunt, ut ſupradictus contractus maneat in ſua vi & valore integro, & examuſſim obſervetur & executioni mandetur in omnibus punctis,

ctis, exceptis iis quæ in sequente transactione mutata videbuntur.

Ad extinguendas nempe penitus omnes actiones & prætentiones quas dictus Princeps potuerit habere contra dictam suam Majestatem, ipsa dabit & cedet absolutè dicto Domino Principi, aut eo, ante conclusionem dicti pacis tractatus, mortuo, ejus hæredibus, successoribus aut jus habentibus, terram & Dominium *Montfortii* circa *Ruremundam* siti, cum inde dependentibus, juribus, & jurisdictione ejusdem, nihil reservato; promittitque sua Majestas augere reditus dictæ terræ & Dominii terris aliisve rebus circa sitis usque ad *triginta duo millia* florenorum annuorum, sine ulla deductione aut reservatione.

Dabit & cedet insuper dicta sua Majestas Dominæ Principissæ Auriacæ dicti Domini Principis Auriaci, urbem & Dominium *Sevenbergæ*, cum omnibus juribus, jurisdictionibus, & reditibus inde dependentibus sine ulla reservatione.

Item cedet & dabit insuper dictæ Principissæ terram & dominium *Turenhoutæ* in Brabantia sitæ, cum Castello, Banco *Schoonebrœcio*, & omnibus aliis inde dependentibus juribus, & jurisdictionibus, sine ulla reserva-

tione, promittitque ſua Majeſtas, cum dicta terra & Dominio *Turenhoutano* dictæ Principiſſæ viduæ ſe præſtiturum & daturum quoque pagos, viculos, & alia jura quæ antiquitus dependerunt & pertinuerunt ad dictam terram & Dominium, comprehenſis quoque in iis, quæ antehac ab illis fuerunt avulſa & à Majeſtate ſua vendita; quæ ſe obligat ad ea redimenda, & ad eam redemtionem ſe impenſuram viginti vel viginti quinque mille florenos, & non plus.

Promittit etiam ſua Majeſtas ſolvere & ſatisfacere omnibus qui jus aliquod in ea habeant, vel partem aliquam dictarum trium terrarum, urbium, & Dominiorum, *Montfortii, Sevenbergæ & Turenhoutæ* poſſideant: inſuperque promittit ſua Majeſtas, ſe dictas terras liberaturam ab omnibus reditibus redemtioni obnoxiis, pecunia fœnori ſumta, oppignorationibus & omnibus aliis oneribus, nihil reſervato: ut dictus Dominus Princeps & dicta Domina Principiſſa ejus Mater, eorum hæredes, ſucceſſores, aut jus habentes, ut dictum eſt, iis potiantur libere, purè, & plenè, ſine ulla controverſia aut oppigneratione.

Omnia autem ea tali conditione, ut à ſua Majeſtate teneant in feudum omnes

omnes præfatas terras, excepto quatenus ab aliis in feudum teneantur, & ut Religio Catholica ibi conſervetur, uti nunc eſt, & eccleſiaſtici in ſuis bonis, functionibus, liberis, & immunitatibus.

Pro quibus ceſſionibus dictus *D. de Knuyt* nomine dicti Domini Principis, &, eo ante ratificatum dictum pacis tractatum mortuo, nomine ejus hæredum, ſucceſſorum aut jus habentium, promittit cedere & transferre omnes actiones & prætenſiones quas dictus Princeps habuerit contra ſuam Majeſtatem, aut ejus ſubditos ratione prætenſionum, de quibus hic tractatur.

Et quamvis articulo viceſimo quarto pacis erit cautum, ut ii, quorum bona erunt fiſco addicta & occupata, ex cauſa belli, aut eorum hæredes aut jus habentes, potiantur iis bonis durante pace, eorumque poſſeſſionem accipiant autoritate privata vigore hujus tractatus, nec opus habeant recurſu ad juſtitiam, non obſtante qualibet in fiſcum incorporatione, oppigneratione, donis factis, tractatibus, pactis, & transactionibus fuerint adjectæ renunciationes, ad excludendos à parte dictorum bonorum eos, ad quos pertinent: Eo non obſtante con-

conventum eſt, ut dictus Princeps, aut eo ante concluſionem & ratificationē dicti pacis Tractatus defuncto, ejus hæredes, ſucceſſores, aut actionem habentes maneant in poſſeſſione & uſufructu Marchionatus Bergozomani, quatenus eum nunc temporis dictus Dominus Princeps poſſidet: ut & dictus Dominus Princeps, aut ejus hæredes, ut dictum eſt, mittentur à ſua Majeſtate in plenam poſſeſſionem & uſumfructum partis & portionis reſtantis dicti *Marchionatus Bergozomani*, quam jam non poſſidet, idque quam primum tractatus pacis erit ratificatus: Econtra ad ſatisfactionem dicti *Marchionatus* ſua Majeſtas mittetur in plenam poſſeſſionem & uſumfructum partium ſequentium bonorum in proprietate pertinentium ad dictum Dominum Principem: nempe urbis & Baronatus *Dieſtæ*, item terræ & urbis *Sichemiæ* & *Montacuti*, item liberi Dominii *Meerhoutæ*, & *Verſtii*, item liberi Dominii *Heerſtallæ*, item Baronatus *Grimbergæ*, item urbis & Baronatus *Warnetonii*, cum omnibus quæ inde dependent, item *Domus* dicti Principis Bruxellæ, idque, donec à ſua Majeſtate efficax dicti *Marchionatus* cum omnibus inde dependentiis permutatio fuerit procurata cum dictis

etis Domini Principis bonis : permutatione autem facta, dictus *Marchionatus* in perpetuum manebit penes dictum Principem, ejus hæredes, succèſſores aut jus habentes, & altera dicta bona penes ſuam Majeſtatem, aut eum cui dictus *Marchionatus* competat: promittitque dictus Dominus Comes *Penerandæ* dictam efficacem permutationem faciendam intra ſex menſium à rato habito tractatu pacis terminum.

Efficacia item à ſua Majeſtate adhibebuntur officia apud Cæſaream Majeſtatem, ut terra *Meurſenſis*, pertinens ad dictum Dominum Principem, augeatur aliqua terra Imperii, circa ſita, valente decem mille florenos annuos, & ut omne illud in Ducatum erectum deinceps teneatur in feudum & relevetur ab Imperio.

Omne hoc ea conditione, ut uſque ad concluſionem & ratificationem dicti pacis tractatus, præſens conventio non ſit obligatoria: facta autem dicta concluſione & ratificatione, præſens contractus integrè & exactè cõplebitur, perficietur, & obſervabitur, eodẽ cum dicto pacis tractatu valore.

Actum Monaſterii viceſimo ſeptimo Decembris 1647. Signatum, *Comes Penerandæ, I. de Knuyt.*

Artich.

Articulus ſeparatus ſuper navigatione & commercio inter Legatos extraordinarios & Plenipotentiarios Regis Hiſpaniæ, & Ordinum Generalium Vnitarum Belgii Provinciarum, ſignatus die 4. Febr. & à Rege ratificatus die 16. Iunii 1648.

SUbditi & inhabitantes Uniti Belgii navigabunt & commercabuntur omni ſecuritate & libertate in omnibus Regnis, ſtatibus, & terris, quæ ſunt aut erunt in amicitia vel neutralitate cum Ordinibus Unitarum Provinciarum, nec turbabuntur, aut inquietabuntur in eorum navigatione & commercio præfato ex cauſa hoſtilitatis, quæ eſt vel erit deinceps inter dictum Dominum Regem Hiſpaniæ, & dicta regna, ſtatus, aut terras, aut aliquas earum, quæ ſint in amicitia aut neutralitate cum ſupradictis Dominis Ordinibus; ita tamen ut non ſit permiſſum portare ad inimicos dicti Domini Regis merces prohibitas vulgo contrebandas. Et ut ei rei obviam eatur, nec tamen curſus com-

Digitized by Google

commerciorum interrumpatur, tenebuntur ingreſſi in aliquem dicti Domini Regis portum, & inde egreſſuri ad aliquem inimici ejus portum, exhibere ſalvos conductus ſuos, continentes ſpecies oneris navium ſuarum, atteſtatione munitos & notatos ſigno cognito per officiarios admiralitatis loci unde diſcedent, nec inſuper viſitabuntur aut inquirentur, multo minus detinebuntur, quocunque ſub prætextu. ut & navigantes in pleno mari aut venientes ad aliquam oram maritimam, ita tamen ut nolint intrare portus, aut diſtrahere merces quas vehunt, non tenebuntur aliquam reddere mercium quas in navibus ſuis vehunt, rationem: cautum tamen eſt ut Domini Ordines mandari faciant, ne cui ſubditorum ſuorum licitum ſit vehere merces prohibitas ad dicti Domini Regis hoſtes, & exhibeant ſalvos conductus gemino chirographo firmatos, quo tanto melius valor eorum ab Admiralitate datorum cognoſcatur, an falſi ſint. Ita tamen, ut navigatio & commercium ſubditorum unitarum provinciarum in Gallia & vice versâ continuetur uti antehac, abſtinendo tamen à ſubvectione mercium ex ſtatibus Regis Hiſpaniæ provenientium, quæ poſſint con-

contra eum ejuſque ſtatus ſervire. Et ſi quando in iis navibus reperiantur bona, merces, res prohibitæ & contrabandæ, dicta bona, merces & res ſolummodo deferentur & fiſco addicentur; nec propterea navis, alia bona, merces, aut res in dictâ nave contentæ, moleſtiâ, inquietudine, vel fiſco ullatenus afficiantur; & eâdem vice versâ libertate navigationis & commercii fruantur ſubditi dicti Dom. Regis, ſi quando eveniat hoſtilitas inter dictos Dominos Ordines, & regna, ſtatus, terraſque aut quaſdam earum quæ ſunt aut erunt in amicitiâ vel neutralitate cum dicto Dom. Rege Hiſpaniæ: idque juxta ſupradictas conditiones & limitationes hoc articulo expreſſas.

Præſens articulus obſervabitur, executioni mandabitur, & habebitur tanquam inſertus tractatui pacis, & ratificabitur à Dominis Rege Hiſpaniæ, & Ordinibus Generalibus Unitarum Belgii Provinciarum, ut principalis tractatus, intra duos menſes ab extraditâ ratificatione dicti tractatus principalis concluſi & ſignati 30. Ianuarii præſentis anni, extradenturque & permutabuntur ratificationes hinc inde debitâ validâque formâ. Actum, decretum & ſignatum à dictis lega-

legatis extraordinariis dictorum Dominorum Regis Hiſpaniæ, & Ordinum Generalium Unitarum Belgii Provinciarum. Monaſterii: quarto Februarii anno milleſimo, ſexenteſimo, quadrageſimo octavo. Signatum & ſigillatum,

El Conde de Penerande.

A. Brun.

Bar. à Gent.

Adr. Pauvv.

I. à Matheneſſe.

I. à Knuyt.

G. à Reede.

F. à Donia.

G. Ripperda.

A. Clant.

Cæsarea observandæ neutralitatis declaratio.

FErdinandus Tertius, Divinâ Favente Clementiâ, Electus Romanorum Imperator, Semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ Rex; Archidux Austriæ; Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ; & Marchio Moraviæ; Dux Luxenburgiæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Wirtembergæ & Tecliæ; Princeps Sueviæ; Comes Habspurgi, Tirolis, Ferreti, Kyburbi & Goritiæ; Lantgravius Alsatiæ; Marchio Sacri Romani Imperii; Burgoviæ ac Superioris & inferioris Lusatiæ; Dominus Marchiæ, Sclavoniæ, Portus Naonis & Salinarum. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis; Quod, cum nobis ex parte Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis Catholici & Consobrini, Generi & Fratris Nostri Chariſſimi, demisse fuerit expositum, in pace nuper inter Serenitatem suam ex unâ atque Status & Ordines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum ex alterâ parte, Deo bene juvante, conclusâ ac

ac publicatâ, inter alia contineri Articulum, ordine quinquagesimum tertium, hujus, qui sequitur, ex Gallico in Latinum translati tenoris.

„ Dictus Dominus Rex obligat se
„ effectivè ad procurationem conti-
„ nuationis & observationis Neutra-
„ litatis, Amicitiæ & bonæ vicinita-
„ tis ex parte suæ Cæsareæ Majestatis
„ & Imperii cum dictis Dominis
„ Ordinibus, ad quam continuatio-
„ nem & observationem prædicti
„ Domini Ordines reciproce pariter
„ se obligant, sequeturque super eo
„ confirmatio suæ Cæsareæ Majesta-
„ tis intra spacium duorum Mensium,
„ ex parte vero Imperii intra annum
„ à conclusione & ratificatione præ-
„ sentis Tractatus.

Ac proinde supplicatum, ut Nos pro nostrâ parte dictum Articulum clementer approbare, ratum habere atque confirmare dignaremur. Nos, re maturè ac diligenter deliberatâ, pro singulari ac propensissimo nostro in pacem quaqua versum promovendam ac propagandam studio, in ejusmodi petitionem clementer annuerimus dictumque Articulum ejusque contenta, quatenus ea ad Nos pertinent, pro nostrâ parte approbaverimus, ratificaverimus & confirmave-

rimus, prout hiſce ex certâ ſcientiâ, authoritate noſtrâ Imperiali approbamus, ratificamus & confirmamus; Eâdem authoritate & ſcientia volentes, declarantes & ſtatuentes, quod non modo Nos contra eundem Articulum ejuſque contenta, quatenus ea ad nos pertinent, directè vel indirectè nihil committere, ſed nec ab aliis fieri vel committi permittere velimus: In cujus rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigilli noſtri Cæſarei appenſione communiri fecimus; quæ dabantur in Arce Noſtra Linzii: ſexta Iulii anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo; Regnorum Noſtrorum Romani Duodecimo, Hungarici Vigeſimo tertio, Bohemici vero Vigeſimo primo.

Ferdinandus.

Ferdinandus Comes Curtius
Vt.

Ad Mandatum Sacræ Cæſ. Majeſtatis proprium, ſignatum erat

I. Walderode.

Tra-

Digitized by Google

Tractatus commercii inter Regem Hiſpaniæ & Ordines Generales ad explicationem Articuli ſeparatim die 4. Februar. 1648. Monaſterii facti, reſumptus Hagæ & conventus die 22. Ianuarii 1650.

CUm à pace Monaſterii inter Dominos Regem Hiſpaniarum & Ordines Generales Unitarum Belgii Provinciarum conclusâ contentiones, & differentiæ nonnullæ ſupervenerunt, concernentes verum ſenſum articuli ſeparatim die 4. Februarii anno 1648. conventu ſuper navigatione, commercio, ſecuritate, libertate ejuſdem; dictique Domini Rex & Ordines commodum putarunt elucidationem ac explicationem aliquam præbere præoccupandis cunctis querelarum occaſionibus, ad ſtringendam magis ac magis mutuam inter eos, eorumque ſubditos correſpondentiam per ſinceram & perfectam dicti tractatus pacis in omnibus & quibuſcunque ejus articulis obſervantiam, præcipue in puncto tantæ utilitatis & ponderis; ac eo fine dictus

Dominus Rex commiſerit à ſuâ parte Dom. *Antonium Brun*, equitem, conſiliarium in ſuo ſtatus & ſupremo circa res Belgicas & Burgundicas prope ſuam perſonam conſilio, ad Tractatus pacis generales Plenipotentiarium, & Legatum ordinarium apud Dominos Ordines Generales; Et dicti Domini Ordines Dom. *Rutgerum Huygens*, equitem; *Franciſcum Banningium Cock*, equitem, Purmerlandiæ & Ilpendamiæ Dominum, conſulem Amſterodamenſem; *Cornelium Ripperſe*, conſulem Hornæ Weſtfriſiorum; *Iacobum Vith*, Conſiliarium & Penſionarium urbis Medioburgenſis Zelandorum; *Giſbertum de Hoolck*, nuper conſulem urbis Ultrajectinæ; *Ioachimum de Andrée*, nuper primarium Curiæ Friſicæ conſiliarum, Equitem; *Iohannem à Beeke*, in Doornick & Crytenborg, conſulem urbis Daventriæ; *Adrianum Clant* in Stedum, Dominum de Nitterſum, omnes congregationis Dominorum Ordinum membra; Dicti Domini Legatus & Deputati poſt varias collationes, tandem nomine & vice dictorum Dominorum Regis & Ordinum Generalium convenerunt, tranſegerunt, & concluſerunt præſentem articulis & conditionibus ſequentibus tractatum.

Primo

1.

Primo ſubditi & inhabitantes Provinciarum Belgii Unitarum omni libertate & ſecuritate navigent & negotientur in omnibus Regnis, ſtatibus & terris. quæ gaudent pace, amicitiâ aut neutralitate, cum ſtatu dictarum provinciarum unitarum.

2.

Nec turbentur aut inquietentur in eâ libertate per naves aut ſubditos Domini Regis Hiſpaniæ ex causâ hoſtilitatis, quæ poſthac accidere poſſet inter dictum Dominum Regem & ſubditos, regna, terras & ſtatus aut aliquos eorum, qui erunt in amicitiâ vel neutralitate cum dictis Dominis Ordinibus Uniti Belgii.

3.

Quod & extendet ſe reſpectu Galliæ ad omnigena mercium & commeatuum genera, quæ illuc vehi ſolebant ante ejus cum Hiſpaniâ bellum.

4.

Ita tamen, ut uniti Belgii ſubditi abſtineant à ſubvehendo illuc merces ex ſtatibus dicti Regis Hiſpaniæ oriundas, quæ ſervire poſſint contra ipſum ejuſque ſtatus.

5.

Et quantum ad alia regna, ſtatus & terras amicitiâ vel neutralitate cum dictis

08

dictis provinciis fruentes, licet in bello cum dicto Domino Rege constitutas ; illuc ne portentur merces contrabandæ, vel aliæ: quod ut eò melius præcaveatur , dicti Domini Ordines id prohiberi curent per edicta expressa & proclamationes.

6.

Præcavendis insuper tantò facilius inde oriturus differentiis, quoad designationem mercium prohibitarum & contrabandæ, declaratum & conventum esto , sub eo nomine comprehensa esse omnia arma ignita, & instructus eorum , ut tormenta , bombardas , mortaria , petarda , bombos, granata , saulsisas, circulos picatos, tormentorum sustentacula , furcas, baltea , pulverem tormentarium , restes igniarias, salnitrum, globos; item sub nomine prohibitorum & contrabandæ intelligantur omnia alia armorum genera , ut hastæ , gladii , galeæ, cassides , loricæ , hastæ securiclatæ, spicula, aliaque similia : vetitum item sit transportare milites , equos, armaturas, catapultarum thecas , balteos & instructus omnigenos ad usum belli factos.

7.

Ad evitandam pariter omnem litis & contentionis materiam , conventum

tum ſit, ut ſub nomine mercium interdictarum & contrabandæ non comprehendantur frumentum, triticum, vel alia grana & legumina, ſal, vinum, oleum, nec quicquam nutrimento & ſuſtentationi vitæ ſerviens, ſed maneant libera, ut & aliæ omnes merces articulo præcedente non deſignatæ; quarum tranſlatio ad ipſa quoque inimicorum loca permiſſa ſit: exceptis urbibus & locis obſeſſis, circumſeptis, vel inveſtitis.

8.

Et ad impediendum ne dictæ merces vetitæ & contrabandæ, juxta deſignationem articulis proximè præcedentibus factam, tranſeant ad hoſtes dicti Domini Regis Hiſpaniæ, neve ſub prætextu talis impedimenti, navigationis & commercii libertas & ſecuritas retardetur, conventum eſt, ut naves cum mercibus ſubditorum & incolarum provinciarum Belgii unitarum ingreſſæ in aliquem portum dicti Domini Regis, & inde abiturientes ad locos eidem inimicos, teneantur ſolummodo producere & demonſtrare officiariis portus Hiſpanici, aut aliorum ſtatuum dicti Regis, unde abibunt, ſalvos conductos ſuos, qui contineant ſpecies oneris ſuarum navium certificatas & ſignatas ſigno

& ſigillo ordinario & cognito Officiariorum admiralitatis loci ejus à quo primum diſceſſerunt, cum expreſſione loci ad quem ſunt deſtinatæ; idque omne in forma ordinaria & ſolita: poſt quam ſalvi conductus, modo quo dictum eſt, exhibitionem, ne moleſtentur, viſitentur, detineantur aut retardentur à ſuo itinere, quocunque ſub prætextu.

9.

Dictæ quoque naves ſubditorum & incolarum uniti Belgii quum erunt in pleno mari, aut etiam venientes ad aliquas oras maritimas, non tamen portus intrare volentes, aut ingreſſæ nolentes exponere aut diſtrahere onera ſuarum navium, non teneantur onerum ſuorum reddere rationem; niſi ſuſpectæ fuerint transferendarum ad hoſtes dicti Domini Regis mercium prohibitarum, ut antea dictum eſt.

10.

Et caſu dicto ſuſpicionis manifeſtæ, dicti ſubditi incolæ uniti Belgii obligati ſint exhibere in portibus ſalvos conductus ſuos, modo antè declarato.

11.

Progreſſæ ad oras maritimas aut obviam factæ in pleno mari navibus dicti

dicti D. Regis aut Armatorum privatorum ejus ſubditorum, dictæ naves, ad evitandum malum manentes extra jactum tormenti bellici, mittant ſcapham ad navem ſubditorum vel incolarum dictarum provinciarum unitarum, & cum duobus vel tribus ſolummodo hominibus intrent; quibus monſtrentur ſalvi conductus à magiſtro vel patrono dictæ navis unitarum provinciarum, modo uti articulis antecedentibus expreſſum eſt, ut & litteræ maritimæ conceptæ juxta formam præſenti tractatui inſerendam: quibus conſtet non tantum de onere, ſed & de habitationis in provinciis unitis loco, & de nomine tam Magiſtri vel patroni quam navis: ut iis duobus mediis cognoſcatur an merx interdicta aliqua inſit, & appareat ſufficienter qualitas navis, & Magiſtri vel Patroni ejus: quibus ſalvo conductui & literis maritimis fides adhibeatur plena; eoque magis quia tam à parte dicti D. Regis quam Ordinum generalium dabuntur certificationes contraſignatæ, ut melius agnoſcatur valor, nec ullatenus falſæ fiant.

12.

Et caſu quo in dictis navibus ſubditorum unitarum provinciarum dicto modo

modo reperiantur merces aliquæ, juxta præmemoratam designationem, interdictæ, eædem exonerabuntur, accusabuntur, & fisco addicentur coram Iudice admiralitatis aut alio competente: nec tamen propterea navis aut altera bona & merces liberæ & permissæ, in præfata navi reliquę manentes, quovis modo occupentur vel fisco addicantur.

13.

Conventum præterea est, ut quicquid repertum fuerit oneratum à dictis subditis & incolis unitarum provinciarum in navibus hostium dicti Domini Regis, quamvis mercimonium non interdictum, fisco addicatur cum omnibus cæteris quæ in præfata navi invenientur, sine ulla exceptione vel reservatione.

14.

Vice versa liberum & relaxatum sit quicquid vehetur in navibus dictorum subditorum præfatorum D. Ordinum, quamvis onus aut pars ejus sit hostium dicti Domini Regis, exceptis mercibus interdictis: quarum intuitu observetur id quod articulis anterioribus cautum est.

15.

Subditi dicti D. Regis reciprocè fruantur iisdem juribus & libertate in

in eorum navigatione & commercio ratione dictorum D. Ordinum generalium uniti Belgii, quibus eorum ſubditi fruuntur ratione dicti D. Regis: intelligatur autem reciproca æqualitas hæc in omnibus ab alterutra parte: etiam eo caſu quo dictus D. Rex habeat poſtea amicitiam & neutralitatem cum aliquo Rege, Principe, aut ſtatu, qui incidant in bellum cum dictis Provinciis: fruaturque pars utraque iiſdem conditionibus & limitationibus, articulis antecedentibus expreſſis.

16.

Præſens tractatus ſerviat ad elucidationem & explicationem articuli ſeparatim, Monaſterii die 4 Februarii anno 1648. concluſi, niſi quatenus ei per præſentem explicationem derogatum invenietur.

17.

Præſens tractatus ejuſdem eſto vigoris, & duret tanquam ſi inſertus fuiſſet in tractatu originalis pacis inter dictos D. Regem & Ordines facto: cum hac limitatione, ut, ſi tractu temporis fraudes aliquæ aut inconvenientiæ appareant in commerciis & navigatione, qnibus non ſatis proviſum ſit & cautum, aliæ præcautiones adhiberi poſſint quæ rationi conſonæ

ſonæ utrinque videbuntur: manente tamen præſente tractatu in ſua vi & valore.

18.

Præſens tractatus ratus habeatur, & confirmetur à dictis D. Rege Hiſpaniarum & Ordinibus generalibus unitarum Belgii Provinciarum intra quatuor menſes à dato hujus.

Sequi-

Sequitur formula Certificationis Marinæ, articulo undecimo memoratæ.

SEreniſſimis, Illuſtriſſimis, Illuſtribus, Potentiſſimis, Potētibus, Nobiliſſimis, Honorabilibus, & prudētibus Dominis, Imperatoribus, Regibus, Rebuſpublicis, Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Dominis, Conſulibus, Scabinis, Conſiliariis, Iudicibus, Officialibus, Iuſticiariis & Regentibus quarumcunque bonarum civitatum & locorum, tam ecclesiaſticis quam ſæcularibus, qui Patentes haſce videbunt aut legi audient, Nos Conſules & Regentes urbis . . . . . notum facimus N. N. Magiſtrum navis coram nobis comparentem per ſolenne juramentū declaraſſe, navem vocatam N. capacem N. circiter laſtarum, cujus ipſe eſt Magiſter, pertinere ad incolas unitarum Belgii provinciarum, utque ita Deus ipſum bene adjuvaret. Et quoniam in ſuis juſtis negotiis dictum Magiſtrum rite accommodatum vellemus, vos omnes in genere & in ſpecie, ubi dictus Magiſter cum navi ſua appulerit, rogamus, ut benignè eum recipiatis,

Digitized by Google

tis, ac debitè habeatis, permittatisque ut ad, in & per portus, Dominia, fluvios vestros naviget, eat, redeat, frequentet ac negotietur, ita & ubi commodum ipsi videbitur. Id quod benevolè agnoscemus. In fidem cujus apponi fecimus civitatis nostræ sigillum.

Sequi-

Sequitur exemplum mandati D. Antonii Brun, Legati Ordinarii Regis Hiſpaniæ.

R E X.

ANtoni Brune, conſilii Flandrici mei ſupremi conſiliarie, Legate à me in Hollandia; miſiſti mihi Litteris 27 Maii proximè elapſi datis copiam Tractatus cum Provinciis unitis conventi de navigatione & commercio: ad quod reſcribi mandabam brevi mittendum fore beneplacitum meum; nunc viſum fuit declarare, quod conſultum duxi, uti duco, ut concludas dictum Tractatum, certus ac paratus eum ratificare; æquum item bonumque erit, uti & jubeo, ut ſtatim illud notum facias Ordinibus & quam libenter eò conſenſi. Et quod mandatum dedi D. Iohanni, Filio meo, cæteriſque Generalibus, ut etiam ante concluſionem & ratihabitionem tractatus juxta eum ſe gerant, meam voluntatem eſſe ut commercium promoveatur, ſequanturque omnes convenientiæ & commoda quæ obtineri poſſint;

& ut reſtituantur omnia quæ contra hunc noviſſimum tractatum fuerint capta à pace facta. De quo eos, quorum intereſt, certiores facias; ut reſtitutiones ablatorum petant: aſſerens inſuper, ſi hic ſciretur quænam illa eſſent (quamvis nulla facta petitione) ultro ſatisfactionem ipſis futuram eſſe. De quorum ſequela mihi indicabis, ea qua ſoles cura. Madriti 18. Auguſti 1650. Erat ſignatum, Ego Rex. Et contraſignatum, *Hieronymus de la Torre.*

Sequi-

Digitized by Google

Sequitur exemplum mandati D. Deputatorum Dominorum Ordinum generalium.

ORdines Generales Unitarum Belgii provinciarum, omnibus qui haſce præſentes videbunt, ſalutem. Quoniam plenè informati & certi de ſufficientiâ, prudentiâ, fidelitate, dignitate, & diligentiâ Dominorum, *Rutgeri Huygens*, Equitis; *Franciſci Banningii Cock*, Domini de Purmerlandt & Ilpendam, conſulis & conſiliarii Amſterodamenſis; *Cornelii Ripperſe*, Conſulis regentis urbis Hornæ in Weſtfriſiâ, *Iacobi Veth*, Conſiliarii & Penſionarii urbis Middelburgi in Zelandiâ; *Gisberti de Hoolck*, Conſulis urbis Ultrajecti; *Ioachimi de Andrée*, nuper primi in Curiâ Friſiæ Conſiliarii, Equitis; *Iohannis à Beecke*, D. in Doornick & Crytenborgh; *Adriani Clanth* à Steedum, D. in Nitterſum; qui omnes Deputati ex corpore noſtræ congregationis; Elegimus eorundem perſonas, ut noſtro nomine, qualitate noſtrorum commiſſariorum, tractent res quæ negotium & commercium maritimum concernunt inter Regis Hiſpaniæ &

noſtri ſtatus ſubditos ; Et cum promovendis & ad ſcopum propoſitum conducendis tractatibus opus habeant noſtra plenâ potentiâ, mandato, autoritate, commiſſione & juſſu ſpeciali; Idcirco ipſis virtute præſentium ad eum finem damus plenam poteſtatem tractandi, conveniendi, & includendi cum Dom. *Antonio Brun*, Legato Regis Hiſpaniarum apud nos ordinario, articulos neceſſarios, in noſtrâ congregatione exhibitos, navigationem, mercaturam, & commercia concernentes, & de omnibus iis facere & tranſigere inſtrumenta contractuum & promiſſionum in bonâ & debitâ formâ; & inſuper agere generaliter in iis quæ ſupra dicta ſunt, quicquid ipſi ageremus aut agere poſſemus ſi præſentes & in perſona adeſſemus; quamvis vel ſpecialius mandatum, quam hic expreſſum, res exigeret: promittentes bona fide & ſincerè, nos gratū, ratum, firmū, ac ſtabile in perpetuum habituros quicquid per dictos Deputatos noſtros factum, procuratum, promiſſum, conventum & compoſitum hac in re fuerit, idque nos obſervaturos, completuros, & ſecuturos inviolabiliter, nec unquam contra id venturos vel ituros directè vel indirectè quocunque modo, ſed omne illud appro-

approbaturos, si opus sit, & de eo erigere instrumenta & literas in forma meliore ad gustum & plenam satisfactionem dictæ suæ Majestatis. Actum Hagæ in nostra congregatione die septimo Decembris anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo, sub magno nostro sigillo, adscriptione, & subsignatione nostri Graphiarii. Adscriptum erat, B.I. Mulart vidit: scriptum in plicaturâ, absente Graphiario, I. Spronsen.

In fidem cujus nos Legatus & Deputati supra nominati virtute nostrarum respectivè procurationum hasce præsentes solitis nostris subsignationibus & sigillis communivimus & firmavimus. Hagæ in Hollandiâ die decimo septimo Decembris anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo.

L.S. *A. Brun.* *L.S. Rutgerus Huygens.*
L.S. F. Banninck Cocq.
L.S. C. Ripperse.
L.S. Iacob. Vett.
L.S. G. vander Hoolck.
L.S. Io. de Andrée.
L.S. Ioh. vander Beecke.
L.S. Adr. Clant.

Tractatus commercii anno 1647. inter Legatos Regiæ Majestatis Hispaniæ & Deputatos Hanseaticos factus, ex articulo 16. pacis Monasterienſis præcedentibus Hispano-Belgicis conformandus & coæquandus.

NOtum ſit omnibus, quod, cum, ex parte nobilium Civitatum Hanſeaticarum per Deputatos expreſſos Regis Hiſpaniarum ad pacis generalis conventus, plenâ cum poteſtate Legatis Monaſterii Weſtphalorum degentibus multoties repræſentatum fuerit, earundem Civitatum Commercia, per Majeſtatis Catholicæ Regna, ditiones, & ſtatus, quæ alias non ſine mutuo utriuque fructu & emolumento floruerant, ab aliquot annis injuriâ vel infelicitate temporum, & belli calamitatibus, cum maximo tam Hiſpanicorum quam Hanſeaticorum populorum diſpendio, labefactari, & initos ſuper iiſdem Commerciis Tractatus corrumpi; multorum gravaminum editâ, exhibitâque ſerie, quibus nomine prædictarum Civitatum remedia quamprimum

primum & ſeriò adhiberi inſtanter urgebant: idem quoque totius Imperii nomine, comitiorum Generalium, tam Monaſterii quam Oſnabrugæ congregatorum Ablegati, penes eoſdem Hiſpaniæ Regis Plenipotentiarios, voce & ſcripto efflagitabant. Quibus auditis & conſideratis, cum primarius eorum Plenipotentiariorum Hiſpanicorum Legatus, *Comes à Peneranda*; ad Regiam Majeſtatem Catholicam reſcripſiſſet, & exemplaria prædictorum gravaminum, nec non earundem Civitatum Hanſeaticarum literas, circa Commerciorum inſtaurationem tranſmiſiſſet; obtentis benignis ac favorabilibus reſponſis, quibus benevolam ſuam in Hanſeaticas Civitates earumque poſtulata propenſionem Regia Majeſtas Catholica abunde & luculenter conteſtatur, nec non poteſtatem facit prædictis ſuis Plenipotentiariis, in hac Commerciorum reſtauratione, gravaminum ceſſatione, agendi, & modis omnibus antiquam amicitiam, navigationem, & mercimoniorum exportationem, venditionem, emptionem, inter Hiſpanicas & Hanſeaticas Provincias, urbes & populos, facilitandi ac ſtabiliendi: inita iterum cum infra ſcriptis Deputatis

& Ablegatis Civitatum Hanſeaticarum ſubper hoc negotio amicabili & ſpecificâ conferentiâ, ac conſultatione, inter utroſque proviſionaliter, & ſub futura ſuæ Majeſtatis Catholicæ, Hanſeaticorumque Magiſtratuum approbatione, & ratihabitione, conventum eſt.

I.

Quod antiqua Civitatum Hanſeaticarum in Regnis & Provinciis Hiſpanicis acquiſita Privilegia & immunitates, imprimis etiam Tractatus anni 1607, cum annexis ſcriptis, Privilegiis, eorumque extenſionem Regiam continentibus, hoc ipſo conceſſa, confirmata, ex integroque renovata, ad amuſſim ac bonâ fide utrinque & deinceps obſervabuntur, iis exceptis, quibus per ſubſequentes Articulos quippiam derogatur, imprimis verò, ut ceſſante inter Regiam Majeſtatem & Provincias Uniti Belgii hoſtilitate, ſive per Treugam, ſive per pacis compoſitionem id fiat, ea omnia, quæ adverſus dictas Provincias, earumque incolas & ſubditos in præfato Tractatu anni 1607. cauta erant, pariter ceſſent, ac ſublata ſint, durante pace & Treuga.

Et

Et ſi quid amplius in illum eventum dictarum Provinciarum Uniti Belgii ſubditis, ratione mercemonii, earumque rerum quæ ad ejuſdem mercimonii ſecuritatem & libertatem pertinent, conceſſum ſit, quam olim Hanſeaticis competierit, vel datum ſit, id omne & vi hujus Tractatus Hanſeaticis conceſſum intelligatur, cum præſertim præcipuas iſtarum Provinciarum Civitates ſimul Hanſeaticæ ſocietatis membra eſſe conſtet. Belli vero tempore ea, quæ in ſequentibus hujus conventionis Articulis diſpoſita, obſervabuntur.

II.

Novi certificationum modi ab aliquot annis contra vel extra præſcriptum Tractatum anni 1607. introducti tollantur, ſtabiturque iis ſolis inquirendi & certificandi rationibus, quæ præcedentibus Tractatibus exprimuntur, ad priſtinum ſtatum omnia reſtituendo, adeò, ut Magiſtri navium unam duntaxat certificationem, cum ſpecificâ mercium advectarum deſignatione, juxta formulam dicti Tractatus anni 1607, de ſingulis navibus exhibere teneantur,

tur, quo magis & ſecurius inter ſuæ Catholicæ Majeſtatis populos amicitiæ & commerciorum jura coaleſcant. Ceſſante autem cum Belgio Unito hoſtilitate, nihil amplius certificandum, quam quod mercimonia ad nullos eorum pertineant, qui vel Hanſeatici non ſint, vel iiſdem cum Hanſeaticis Privilegiis & juribus in Regiæ Majeſtatis regnis ac ditionibus non gaudeant.

III.

Donec verò Regiæ Majeſtati cum Ordinibus & Provinciis Uniti Belgii, vel aliis quibuſcunque inimicis intercedit hoſtilitas, fruantur Hanſeatici Neutralitate, quæ ipſis à ſuæ Majeſtatis hoſtibus non negatur: ideoque ſuperioribus omnibus Hanſeaticæ ſocietati conceſſis ſalvis, libera ſit eidem omni tempore cum Belgis Unitis, aliiſque quibuscunque Regiæ Majeſtatis hoſtibus, commercandi, eorumque terras adeundi & relinquendi, merces terrâ marique inferendi & exportandi, facultas: Exceptis iis, quæ bellico uſui convenientes, ex ditionibus Hiſpanicis provenerint.

Quâ in re, ne ullus ſubſequatur dolus, ea quæ art. 11. dicti Tractatus annı

ni 1607. de mercibus in dictas Uniti Belgii Provincias non transvehendis, deque obligationibus desuper expediendis statuta sunt, quoad omnia loca hostilia, circa modò dictas merces, deinceps observabuntur.

IV.

Omnem ubique Hanseaticæ Civitates benevolentiæ testificationem Regi Catholico, ejusque subditis ac statibus exhibebunt, & præterea tam navium quam omnis nauticæ supellectilis instruendarumque navium apparatus, pro cujusque loci consuetudine, liberum, justumque suæ Majestatis Catholicæ Ministris apud ipsas erit Commercium, una cum omnibus aliis commoditatibus, quas cuipiam alteri Principi & statui Neutrali, ac amico, quovis tempore & loco sunt concessuræ.

Quas ante dictas pactionum leges, Legati Hispanici, ex unâ parte, & Deputati Hanseatici ex aliâ, manuum subscriptionibus & sigillis muniverunt, atque pro majori robore Regiæ Catholicæ Majestatis & respective suorum superiorum ratihabitiones desuper intra quatuor menses hinc inde procurare

&

& extradere receperunt.

Actum Monasterii $\frac{I}{II}$ Septemb. an. Chr. 1647.

El Conde de Peneranda. Fray Ioseph. Archiepiſ. de Cambray. *A. Brun. David Gloxinius*, D. & Synd. Lubec. *Gerhard. Coch*, D. Senat. Reipubl. Brem. *Iohannes Chriſtophorus Meurer*, D. & Synd. Hamb.

FINIS.

Digitized by Google

DISCURSUS ORATORII DUO IN Expugnationem SASSÆ GANDAVENSIS, ET HULSTÆ

munitissimi oppidi in Bello olim habiti.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISCURSUS ORATORIUS.

Sicuti repentino gaudio mortalium animi ſæpe ita obruuntur, ut attoniti obtutuque ſuo hærentes propria non intelligant bona, ita noſtra mens in tanto optimorum civium applauſu ſe ipſam capere nequit, & victoriæ magnitudine attonita abrupto veluti rationis freno vagatur, atque incondito more loquendi in lætitiæ hæc qualiacunque ſigna erumpere cogitur. Non ego hic longis ambagibus vos detinebo Auditores. Odioſa circenſibus pompa. Neque rei magnitudo ullam amplius expectationem admittit. Vicimus, vicimus, Auditores, munitiſſimum totius Belgii caſtellum, portas atque obices Flandriæ Brabantiæque perrupimus, & ſi ita loqui fas ſit, ipſum Heſperium Iovem ſua arce, ſuo capitolio deturbavimus, unde Fortunam noſtram toties ſtitit, repreſſit, conculcavit. Quidnam autem hic primum prædicem invictiſſi-

me

me Imperator Frederice Henrice? Nemo hic mihi vitio vertat, quod ipso admodum orationis vestibulo ad illum Principem oculos vultumque dirigam, quem totus Christianus orbis veneratur, quem utrumque solis cubile atque alterius cœli sidera stupent, quem ipse hostis, raro superior, toties victus fortissimum prudentissimumque Imperatorem confitetur, quem Rhenus, Vahalis, Mosa toties sanguine hostium infecti supremum Martis arbitrum agnoscunt, quem Scaldis & Lisa & Legia hactenus pertinaces amnes ad intimos tandem suarum regionum recessus vocant, cui denique hodie dextra sua Deus immortalis illam favoris sui porrexit auram, qua tantus Princeps invictusque Fœderatarum Provinciarum populus dignus videbatur. Novimus quidem ex Christianorum lege cuncta ope & consilio Dei immortalis dirigi, illum & cœlos & maria, & terras, & Remp. hanc nostram præsentia sua temperare, nihil tamen vetat etiam optimos Principes suis condecorare laudibus, quos cœlesti munere mortalibus ægris concedi non tantum nostra sed & profana admittit religio. Iterum dico fortissime Imperator. Erexerit primus Guliel-

lielmus libertatis vexilla, extenderit fines, ſtabiliverit imperium Mauritius, glorioſiſſimæ memoriæ Principes, tuæ demum virtuti neceſſitas fatalis reliquit, ut pacis portas, niſi hoſtis adhuc contumax ſit, aperires, belli autem ferratos, ut loquitur Poëta, poſtes clauderes. Conatus quidem hactenus noſtros non Henus, non Danubius vorticoſi amnes, qui vim Romanorum ſtitere, ſed Legia placidus & modicus amnis ſtiterat, quam bellica tempeſtas ripiſque obtentus hoſtilis exercitus arctiſſime cuſtodiebat. Utique nihil militi noſtro virtus præcluſit, præſertim ubi ipſe Imperator militis munia obit, & ad virtutem ſuo exemplo cæteros cogit. Accenſa protinus militum pectora igne ſuo rapiuntur, ubi tuum fulgorem & conſperſam venerabili canitie majeſtatem aſpiciunt Invictiſſime Princeps. Iuſſiſti tu amnem trajici, juſſa tua exercitus prævertiſſe videbatur. Natatorum turba, ne ulla mora reſiſteret, aquas perfregit, pontem jactilem tranſmiſit, & nimios ignes, mirabile dictu, undis adhuc magis incitavit. Ita ut elementa in contrariam naturam abierint, atque ut aquæ, quæ frigore ſuo corpus conſtringunt, eoſdem inflammarint. Quantum autem

tem artificium ita leniter demulcere aquas, ut ne quidem tam modico amnis interstitio, sub ipso noctis silentio excubiæ hostiles senserint! Nisi & ipse amnis aquarum sonitum prohibuerit, & iras tandem pervicaces deposuerit. Inter primos trajicientium fuit Wiboldus Douza Equestris nobilitatis, atque animo majoribus æqualis, secutusque mox Gulielmus Princeps maximo patre dignissima proles, novumque belli fulmen, sponte ruentem exercitum militari quoque oratione pauciſque verbis instigavit. Nunc demum occasionem iis natam, ut antiquam exererent fortitudinem, quam tot invictæ urbes occupatæ loquerentur. Hostem vinci assuetum spiritus posuisse, fatali mortalium exemplo, quo victores eriguntur animis, victi cadunt, ejusdem paucitatem & tirocinium facile contemni, cum veteranus miles liberandæ à Gallorum potentia Grevelingæ destinatus sit. Exhausto ærario potentissimi regis, stipendiario milite egeno & mendico, quo animo hostem pugnaturum? Non secus atque navigia quæ modum excedunt difficile regi & flecti possunt; ita vastum illud hostium imperium tot bellis laceratum mole sua

ſua ruere. Auderent modo vincere, cætera in illorum poteſtate fore. Si adverſam aliquoties hic experti fortunam eſſent, id potius divino placito quam fortitudini hoſtium tribuendum. Etiam antiquam virtutem, dum impares duobus exercitibus ſunt, obtorpuiſſe, & non ſecus atque animalia quædam aculeo amiſſo vigorem poſuiſſe. Aſpicerent gloriam, opes, atque intactas adhuc beataſque Waſiæ meſſes. Abrupit ex impatientia ſermonem miles, & munimenta hoſtium invaſit, vicit fere ſimul atque pedem poſuiſſet. Nihil aggeres, munimenta, miles profuere, non certa admodum mors terruit: quinetiam corporum noſtrorum inexpugnabilis murus, non ſclopetorum continuis ictibus ceſſit, ſed virtute ſua ſola tectus miles globorum continuam tempeſtatem contemſit, & veluti ipſi Iovi ſua fulmina tonitruumque fragorem extorſit. Non minimum tamen noſtrorum impetum ruſtica pubes ſtitit, quam more communi mortalium non tam reſpublica quam privata in vindictam atque armorum rabiem adigebat. Qui quidem mortis prodigi, & cedere neſcii, per aliquod tempus non magis cum noſtris quam

cum morte *colluctati*, iram atque vindictam ſimul cum anima effundebant, nonnulli ſimul cum noſtris mutua ſibi intentantes vulnera occumbebant, & corpora feraliter amplexi minas tamen adhuc in cadaveribus relinquebant. Denique, ut voluimus, noſtra ſuperat manus, vim vi fregimus, & veluti unico turbine tot Sanctorum, ut vocant, occupavimus propugnacula. Ita ut Deus immortalis ab iis, quos cæleſti honore turba profana proſequitur, ſe vindicare voluiſſe videatur. Unde & victoriæ principium fuit in ea incidiſſe munimenta, quæ ſurda numina defendere nequibant. Sed ut militi, ne occaſionis elaberentur momenta, properandum fuit, ita ad ulteriora noſtra feſtinare debet oratio. Alacritatem pubis bellicæ recens parta victoria acuebat, armorum tympanorum ac tubarum horror, ſuperbus equorum hinnitus, qui & ignaviſſimum quemque ſtimulabant, propria denique virtus ita eos urgebat, ut non ad hoſtem vel prælium, ſed ad certum currere triumphum viderentur. Spiritus utique generoſi difficillime ſuum ignem concoquere poſſunt, neque mediocria ſed ſuprema quæque affectant. Bellonæ illud præruptum

ptum ſacellum, atque Hiſpanæ potentiæ nervum, arcem Saſſenam dico, quæ imminet Flandriæ Brabantiæque, omnium judicio invictam noſtro exercitu clauſimus ea celeritate, ut hoſtis ſe clauſum neſciret. Omne momentum erat in feſtinatione, dum hoſtis liberandæ Grevelingæ intentus, ibi munitiſſimam urbem, hic occaſionem amittit. Inuſitatum hoc fuit prodigium felicitatis, dum fruſtra Gallorum vires attentat hoſtilis exercitus, nobis illam objici prædam, quæ certiſſimum aliquando futurum ſit pignus atque depoſitum afflictæ adhuc ſed mox reſtituendæ Belgicæ libertatis. Interea dum Hiſpani more gentis ſuppetias morantur, neque enim ea expectaverant, ſurgunt opera noſtra, muri è ceſpite ducuntur, foſſæ eruuntur, caſtra adverſus ingruentem vim cinguntur, ea celeritate, ut divino munere foſſæ & valli tranſpoſiti & ſubito rudis atque indigeſta moles in pulcherrimam fabricam mutata videretur. Brabantia hinc omnis & Flandria commoveri, turbata conſilia, neque opes in promptu, ærarii inopia, ſimultates domi tanquam nullus in propinquo hoſtis eſſet, fremere & indignari plebes, ejam

iam convicia in proceres jacere, & fortunam culpæ imputare, antevorti debuiſſe quæ nunc fruſtra tentarentur. Nonnulli ſuſpicionibus abrepti, proceres proditionis arguebant, ita judicante vulgo vinci ſe abſque crimine non poſſe; Regis opes privatorum manibus diſcerpi. Quidam etiam nova omnia optabant, & quamvis tecte vel ad Regnum Galliæ vel ad noſtram hanc Remp. oculos dirigebant, cujus vires in puncto terræ merito venerabantur. Ejus ſecuram quietem ac libertatem, Imperatorem vero fortitudinis, felicitatis, prudentiæque exemplar prædicabant, Fortunam ejus famulam eſſe neque hic defuturam. Viam jam pandi in Brabantiæ Flandriæque intima viſcera. Providendum in tempore ne Reſp. aliquid detrimenti caperet. Religioſi, quos & omnium ordinum homines ſequebantur, triſti vultu, oculis in terram defixis, capite inflexo certis ceremoniis ritibuſque publice incedere, pectora ferire, templa, altaria, ſtatuas precibus fatigare, cereos accendere, militem impellere, Calloenſis cladis memoria incitare, ubi pars noſtrum paludibus hauſti, aquis ſuffocati vel ferro miſeri periiſſent. Arcem Saſſenam unicum eſſe ſuæ libertatis

tatis ſcopulum, tranquillitatis Aſylum, & intactæ hactenus, ita enim loquebantur, religionis fulcrum, toties petitam Flandriam, toties irritos conatus fuiſſe, nihil periculi quin junctis Lotharingi copiis Belgarum hic murus facile defenderetur. Confidentia pro victoria uterentur. vitam patriæ impenderent, Deo, civibus. Divina cœli palatia atque æternas ſedes ſingulos poſt mortem manere. Vota ſacerdotum populus, qui undique confluxerat, votis ſuis precibuſque geminabat. Utique militum ardor atque promptitudo facile oſtendit, quantum momenti religio, ne dicam ſuperſtitio, in credulorum animis ſecum trahat. Enimvero jam opinione vicerant, antequam inſultum tentaſſent, perruperant caſtra, antequam ſepem caſtrorum invictam, & veluti montes montibus impoſitos, aquarum ductus & foſſas oculis metiti eſſent. Itaque non fortuna illos ſed propria fefellit ambitio. Accedebat inaudita fortiſſimi Imperatoris vigilantia, qui & ipſe cum gregario milite acceſſus & Martis ſui Labyrinthos quotidie perequitabat, operarios voce, manu, vultu inſtigabat, ſegnes increpabat, alios ſpe lucri licitabatur. Vigiliarum immodicus, temporis parcus,

cus, dies noctesque curis fatigabat: unde & properati accessus, fudibus interrupti aggeres, loricæ, tormentorum suggesta, pontes trajecti, in ipsis admodum fossis vineæ, horrorem quoque hosti incutiebant. Neque vero ad temeritatem fortuna utebatur prudentissimus Imp. sed cuncta circumspecte ac rationibus suis fulta constituebat solertissimus ille Archimedes. In omnibus fere Iulio Cæsari similem quis agnoscat vel majorem, quicunque nobilissimas utriusque obsidiones legit. Nisi quod pulvere tormentario invento major impetus & difficultas, major hodie etiam solertia reperiatur. Quam putidi fuere Græculi ventosissimi mortalium in Alexandri sui laudibus? utique non ego is sum, qui summo Principi laudes deminuere cupiam, quis vero non ridet atque rerum peritus explodit illa opera, quæ ad ludibrium Tyriorum, cum potentissimæ urbi immineret, in prærupto undarum conficere conabatur? Muros turresque Tyri profundum ambibat mare. Saxa atque arbores, queis aggerem addituri erant, fallaci Neptuni gremio committebant, quæ cuncta mox ferociens unda crebris fluctibus verberabat, donec saxa interce-

terfluens medium opus rumperet, & simul arbores atque aggestum cespitem in profundum abriperet. Nostra autem militia sub tanto Imperatore certa & explorata opera, connexa, divisa, in gyros circumducta ita adversus vim urgentem erigit, ut nihil nisi ludibrium hosti relinquat. Nihil tam natura vel arte munitum, quo nostri cespites, cœci accessus, vineæ, cuniculi, virtus denique non attingant. Quin, quod majus, ubi castra metati sumus jam vicimus, &, ut loquuntur Iurisconsulti, per fictionem brevis manus ipsis admodum obsidionum initiis jam triumphum agitamus. Quid vero dico Vicimus? is solus qui pro nobis dimicat sagacissimus militiæ dictator, etiam solus pro nobis vincit. Quamvis ejus modestiæ Princeps cum milite lubens gloriam partiatur. Conclamata dein spe hostilis exercitus, qui in propinquo erat, vasa colligere, tuguria incendere, nihil denique amplius memorabile egit, nisi quod illorum ignibus, rapinis vicini agri adhuc gemant, sylvæ horreant, flumina indignentur, Dii denique indigetes & Penates rusticorum non amplius suam calamitatem ferant, & quæ jure belli ab hoste expectaverant, indi-

gne ab amicis perpeſſi ſint. In tantum diſſoluta licentia, enervis diſciplina militis animos ad quæcunque ſcelera accendunt, ubi præfectorum jacet auctoritas, friget ærarium, & penuria in furorem rabiemque redigitur, atque in propria viſcera ſævire cogitur. Quo quò nunc oculos flectis ô tu Nobiliſſima Ganda, prima Caroli V. invictiſſimi Cæſaris nutrix, ingeniorum magna mater, fertilitatis uber? an ad amicum? hoſtis tibi eſt, ſuburbia tua incendit, agros vaſtat; an ad hoſtem? amicus tibi eſt. Facilius credo hoſtem intra mœnia receptura, quam amicum, quem urbe tua prohibuiſti, arcuiſti. Quæ tibi ſpes ab illo exercitu, qui propria conſumit, aliena ne quidem attingere audet? Dum miles veſter prædæ inhiat, ſocii tui obſidione pereunt, & vitam ſingulis diebus pro lucro habent, tormentorum fragore intima Veſtæ fundamenta evelluntur, ignito granatarum furore ædes, muri, firmiſſimæque compages diruuntur, laceri artus, trunca capita, colliſum cerebrum, effuſa viſcera, morientium gemitus, vulneratorum clamores latiſſimè exaudiuntur. Interea vero, ſi Diis placet, ſolus Andreas de Parado munimenti tanti præfectus, virtute ſui

ſui militis ſtipatus, noſtrum militem, quantum in ſe erat, repellebat, acceſſus impediebat, crebro tormentorum pilarumque jactu vineas fatigabat, operarios terrebat, qui eo alacrius ad opus ſuum redibant, quo ſpes lucri, quo gloriæ cupido, publicumque de honore certamen eos magis inſtigaret, atque ſanguine ſuo patriæ litare pulchrum crederent. Quin & ignaviſſimum quemque præſentia Principis, & vultus majeſtatis plenus ad fortitudinem confirmabat. Quem non ullus labos, non acceſſuum vinearumque maxima pericula, non incerti tormentorum ictus, qui neque ignavum à forti, neque Principem à privato ſecernunt, deterrebant, quin ubique præſens eidem ſe ſiſteret cum gregario milite fortunæ. Horret, horret dicere, Auditores, lingua obtorpeſcit, oculi rigent, quoties nimiam veſtri ſecuritatem ob oculos pono, Invictiſſime Imperator, quoties lateri junctos calido adhuc alloquio machinis ſublatos, vel vulneratos, mecum ipſe perpendo. O felices pilæ quæ tuum caput non tetigere, qui caput es hujus noſtræ Reipubl.! cujus vitâ, ocio & tranquillitate Belgarum populus in ipſo Martis turbine potitur. Nemo hoc fruſtra factum, ſed

ſed diſpenſante cœlo cogitet. Illa cœleſtis atque æterna mens, hujus univerſi gubernatrix, monuiſſe tantum Principem videtur, ne nimia ſui negligentia fatum ipſe provocaret. Præfixus quidem unicuique decretorius ille & ultimus dies, occulta tamen fortunæ & incerta caſuum vitari ipſe Deus immortalis voluit. Parce in poſterum tibi Frederice Henrice, ut nobis parcas. Plus victoriæ in tua vita, quam in hoſtili calamitate, vel arcis alicujus deditione. Nulla compenſatio inter virtutes tuas & de hoſtibus triumphum. Permitte nos potius de vitâ tuâ quotidie triumphare, quam ut unico tuo obitu omnes admodum victoriæ deleantur. Scipionis illud volve: Mater Imperatorem me, non militem genuit. In milite unius periculum verſatur, in Imperatore totius exercitus atque Reipubl. Sine nos ſolo affectu atque amore tibi imperare, qui in reliquis omne vobis pollicemur obſequium. Non ea quidem ex temeritate, ſed ex noſtri amore, acta novimus. Ignoſce tamen nobis, Imperator, ſi etiam cum laudandus es, te reprehendamus. Deminue ardorem noſtri, atque affectum, ne noſtra augeatur calamitas. Utique ipſum cœlum horruiſſe tuum periculum

lum videtur, cum ſubita ventorum rabies maria ac terras infeſtaret, atque imbrium vis vehementiſſima per aliquot dies adeo ſæviret, ut magis cum pluviis & ventis miles noſter quam cum hoſte colluctatus ſit, & vicina palus firmitatem pedum amplius non ferret. Quin & æſtu noviſſimo ita efferbuerat proximum mare, ut nonnullæ naves in ipſis ſtationibus, cum ſævitiam atque horrorem aquarum tolerare nequirent, abruptis anchorariis funibus ad vada vel litora alliderent. Iratum credidimus nobis ſupremum Numen, cum quam maxime nobis faveret. Inexpectatum triumphum properavit, quo tibi parceret Celſiſſime Princeps; & ſimul ad divinam potius opem quam humanam oculos dirigeret fœderatorum populus, & Deum Immortalem ſummum Imperatorem & fortunæ noſtræ arbitrum jure agnoſceret. Dedita eſt arx munitiſſima, tot foſſis, tot munimentis invicta, cum in medio adhuc opere labor noſter verſaretur, lorica viæ coopertæ cum propria foſſa vix multo ſanguine nobis ceſſiſſet; pluviæ, venti, fulmina, tonitrua, opera noſtra impedirent, matura hyems paludibus inopportuna metueretur; arcem teneret præfectus animi acer, mili-

militiæ vetus; Belgarum atque Hiſpanorum, quos ſoldurios & veluti devotos Regis ſui clientes eſſe conſtat, firmum adeſſet præſidium, annona non deficeret, atque ipſa demum Bellona adhuc ſedem ibi poſuiſſe videretur. Cauſam dum unuſquiſq; pro ingenio conjicit, incerta potius quam explorata in vulgi ore jactantur. Nonnulli annonæ inopiam, vel pulveris tormentarii defectum, militum diſcordiam, vel concuſſis undique tectis nullibi ſecura latibula, denique putridis vulneribus nullam medicinam prætendebant. Quicquid ſit, abdita cauſarum in tanta opinionum diſcordia cœlo potius imputamus, qui ab ipſis admodum belli incunabulis, etiam acciſis rebus, non tam noſtris viribus, quam cauſæ æquitate & divina ope fulti fuimus. Premebat noſtrum jugulum potentiſſimus hoſtis, neque corpori tantum ſed & menti carnificinam moliebatur. Excuſſimus jugum, quia ſupremæ illi æternæque menti innocentia noſtra probabatur. Idem medio bello opes noſtras & facultates, quæ alioquin conſumi ſolent, ita ſua benignitate auxit, ut invidendi ſimus vicinis, hoſtibus terrori, atque adeo tota Europa, quid dico Europa, imo totus orbis, hanc terræ ſpitha-

ſpithamam, unicam veræ & maſculæ Bellonæ aream & campum, pacis delubrum, prudentiæ ſapientiæque ſanctiſſimum Palladium horreat & veneretur. Contra hoſtium provinciæ, longo bello veluti diutino morbo affectæ, ipſa calamitate nobiles ſunt. Tot urbium funera, claſſium direptiones, ruris ſupplicia, immenſa pecuniæ vis profuſa, quam tota vix deglutiret Europa, laſſa liberalitate manus, ubique tamen ærarii inopia, cœlum illis iratum, noſtræ cauſæ juſtitiam arguunt. Quin ergo tu Brabantia, tu prima urbium Antverpia, majorum noſtrorum genitrix, tu Flandria aliquando excutitis jugum Hiſpanicum, & mutuo pacis contractu noſtro vos inferitis corpori? Imminent utrimque portis veſtris noſtræ copiæ, non vobis ſervitutem ſed libertatis vexilla erigimus, quia noſtri eſtis, neque tam nobis hoſtes quam amici hoſtium. Satis ſanguinis civilis hauſtum, quem quotidie maria & flumina volvunt, abdita terrarum fugunt, cujuſque inſolentem vaporem cœlum ipſum attrahit. Calamitas veſtra etiam lachrymas noſtras movet, tanquam ſanguinem utrimque effuſum abluerent. Sapientes, inquit magnus Auctor, pacis cauſa bellum gerunt, laborem

rem ſpe otii ſuſtentant. Quæ autem vobis ſpes otii, victoriæ, dum exhauſtum Regis ærarium, Waſia tributaria, ſuppetiæ longinquæ, ideoque inutiles; militia corrupta, Præfectorum diſcordia, veſtras regiones concutiunt? Gangræna Reipubl. veſtræ corpus corrumpit, & remedium protrahitis? Gangræna vobis ſævum illud indomitumque bellum, quod per ſeptuaginta annos geſtum, nondum finem invenit. Serpenti morbo in tempore occurrite, & ruinam veſtram prævertite. Plus vobis cum exercitu quam hoſte negotii. Pacem, pacem etiam nos qui victores ſumus poſtulamus, ſuperbum eſt victos non accipere. Pulcherrima & tutiſſima victoria, ubi bellum paciſcendo finitur. Si detrectatis, ecce ecce, nos veluti ex hac toga horrendum iterum Martem excutimus, & majori impetu vobis arma indicimus.

DIXI.

In

Felicem Sassæ Gandensis Expugnationem, sub Imperio Celsissimi Arausionensium Principis.

Avritas quercus alio traduxerat Orpheus,
Traxerat & precibus flumina vasta suis.
Fabula nota quidem sub nostro Principe vera est:
Qui sequitur nutum, cespes & unda fuit.
Nutantes sylvæ flexerunt leniter aures,
Quæque arbor, subito vinea nostra stetit.
Iuppiter Hesperius, dum summa hæc spectat ab arce,
Ventorum imbriferos impete mittit equos,
Neptunumque premit, terras atq;

æquora verrit;
Profuit haud tetricus ventus & unda Deo.
In lachrymas venti, lachrymæ mutantur in imbres,
Qui, veluti fluvii, per vaga castra ruunt.
Quis credat? combusti imbres, dum nostra juventus
Extorsit magno tela trisulca Iovi,
Dum Leo terribiles eructat pectore flammas,
Extollitque jubas, fervidus ore, suas.
Horruit ipse Pater rictus oculosque Leonis,
Et fugit, & latitat, vincitur, & periit.

Ad

Ad Principem Auriacum.

Horrida castra natant undis, titubantq; procellis,
Et vomit ignitas hostica turba pilas.
Per medias Frederice undas, medioſque per ignes
Sponte ruis, dum te Martius ardor agit:
Aſperſus toties vicino ſanguine vestem,
Puniceas maculas frigidus imbre lavas.
Quo Frederice ruis? non eſt victoria tanti,
Si pereas, in te publica vita perit.

ORATIO II.

In expugnationem HULSTÆ.

Diu ego dubius incertusque hæsi, Auditores, an publicam hanc lætitiam, quæ pro se satis superque loquitur, silentii nostro velo involverem, an vero in orationis campum hunc nulla necessitate me dimitterem. Prohibebat me ab instituto ingenitus quidam pudor, prohibebat ipsa, (quis credat?) lætitia, quæ ubi in immensum crevit, spiritus mortalium circumrotare solet, atque sui impos, cerebri intentionem deprimit, dum ministros illos ingenii per totum corpus diffundit dispergitque.

Iterum

Iterum hujus victoriæ imago nullo unquam tempore me quietum esse permittebat, calcaribus veluti quibusdam quotidie pectus fodiebat, stimulabat. In ipso admodum somno nunquam sedatus, sed inquies & turbidus modo flumina transnatabam, modo præceps juvenili quodam impetu in medios ferebar hostes, modo innoxia mihi vulnera infligebantur, modo cum victore exercitu urbem ingressus ex ipsis admodum mœnibus patriæ nostræ fumum prospectabam: videbar, videbar veluti manibus meis quam arctissime ipsam Antverpiam amplecti, cujus telluris genio atque siderum inspirationi vitam atque originem majores nostri deberent. Ignoscite itaque mihi, Auditores, dum invitus ad dicendum veluti rapior, ignoscite mihi, quamvis

ne ipſe quidem mihi ignoſcam. Uti maris reciprocantem æſtum nemo mortalium comprimere poteſt, ita, liceat mihi magna parvis componere, hunc ſanguinis æſtum ſiſtere nullo amplius rationis freno poſſum. Quis autem victoriæ hujus magnitudinem digno deſcribet calamo? Credite mihi, non de unâ hodie urbe, ſed de integris veluti provinciis triumphamus. Revulſa ſunt ferro duriſſima illa Brabantiæ Flandriæque clauſtra, quæ hactenus non tam hoſtium virtute quam amnium interſtitio tuta fuere. Scutum & munimentum ſuum unicum fere hoſtis amiſit, quo ſuperato cæteræ quoque urbes collabentur: nutant ac trepidant principes civitates Antverpia & Gandavum; cæteræ illarum momentum atq; fortunam expectant. Hulſtam, Hulſtam vi-

cimus

cimus, Auditores, tot munimentis hactenus invictam, fossarum latitudine inpenetrabilem, aquis undiq; fere peninsulæ in modum cinctam, quas horrendo nomine ab una parte antrum averni nostro idiomate vulgo indigetamus. Ita Acherontem ipsum Herculeo quodam labore perrupimus, & per vias invias urbem expugnavimus. Hoc est illud oppidum, quod ante annos quadraginta & novem ab Alberto obsessum, cum ejus præfecturam obtineret Comes Solmensis, ultra quinque hostium millia cecidit, ultra sexaginta militiæ præfectos prostravit, atque inimico sanguine terram tepefecit, adeo ut lætitiæ immixtus dolor publicum tum temporis inhibuerit triumphum. Hoc est illud oppidum, quod totiens tentatum vim nostram repressit, con-

culcavit: teſtes tot fruſtraneæ in Flandriam Brabantiamque expeditiones : teſtis Henricus Naſſovius Friſiæ, dum viveret, gubernator, qui cum juſſu Principis ante aliquot annos Naſſovium prope hanc urbem occupaſſet munimentum, prima juvenis ætate, animo ac manu promptus pro patriâ vitam cum morte commutavit. Hoc eſt illud oppidum toties latrociniis & rapinis Zelandiæ infeſtũ, quo denique VVaſia hactenus pertinax tributaria facta eſt : horreũ illud divitiarum, fertilitatis uber ſua jam nobis communicat bona. Sed extendamus latius orationis noſtræ fines, videamus, quo tempore, qua fortuna, qua celeritate tantam urbem devicerit ſupremus noſtræ militiæ Imperator. Ita placitum Superis, ut ipsâ æſtate cum opportuniſſimum tempus videretur,

vel

vel hoſtiles cunei ad ripas fluminum expoſiti trajectum noſtrorum prohiberent, vel quod ipſo calore militis noſtri ſpiritus artuſque liqueſcerent, contra adventante frigore nervis confirmatis ad audaciam erigerentur, & veluti ſuo cœlo animarentur. Nemo vero principem hic Autiacum fruſtra accuſet. Prudenti enim morâ optima conſilia non temerario quodam impetu valeſcunt. neque occaſio patitur Fortunam ſemper tentare. Eam ita prenſare oportet, ut retinere queas. Lubrica & incerta caſuum experiri, quæ nullâ humanâ ratione ſuffulta ſunt, temerarii Ducis eſt. Sæpe prodeſt, non tantum bellum, ſed & hoſtem bello protrahere, & Fabii exemplum ſequi, non pugnando ſed cunctando vincere. Si duo ſimul loca à noſtris atque Gallis obſeſſa

ſeſſa fuiſſent, in alterutrum omnem ſuam vim hoſtis traducere potuiſſet atque ita vel noſtros vel Gallorum impetus eludere. Nunc vero dum non uno tempore graviſſimas ſociorum vel noſtros ſentit obſidiones, neutri æqualis fuit dum veluti diſtractis membris divagatur. Itaque in cunctatione noſtra velocitas quædam fuit, ſicuti nonnunquam ipſa celeritas optima conſilia moratur, &, ſi inconſulta, confuſam quandam inducere ſolet formidinem. Abdita itaque conſiliorum judicio ſuo ſubjicere privati non eſt, neque hic oportet nimium nobis indulgere. Nihil ita inacceſſum quam voluntas ſupremi magiſtratus. Et magna ſæpe conſilia exiguis & latentibus de cauſis retardantur. Sicuti magna navigia fruſtra rectà à gubernatore impellũtur, ſi vel nul-

nullus vel adverſus ventus vela impleat. Difficile erat flumina plura trajiciendo contra vim hoſtium inſurgere, & ſimul exercitum in tuto locare. Facilis eſt per prærupta & ardua ad infima quæque caſus. trajicere vada atque amnes uti arduum, ita exercitum revocare, ſi publicum diſcrimen urgeat, ſine calamitate vix fieri poteſt. Gaſſionæus itaque exiguus quidem corporis, ſed animi immenſus atque impiger, junctis Gallorum copiis, magnis itineribus, devictis munimentis, quîs reſiſtendi poteſtas, ad Liviam uſque amnem contendit, eodemque impetu Lotharingos rapinis infames in fugam convertit. Sicuti Gallorum ingenia ubi incaluere ignem imitantur, qui nullis limitibus clauſus ulteriora ſemper petit, & niſi vi extinguatur, per vicina quæque depaſci-

paſcitur. victoribuſque audacia ut plurimum pro victoria, victis timidiſque nulla ſufficiunt munimenta. Imminenti itaque periculo ſe ſubduxit Lotharingus, neque voluit periculum pro remedio uſurpare. Quinet fama Gaſſionæi, qui Piccolominæum ducem providum, & rerum atque temporum callidum, aliquoties ceciderat, magno momento ad metum impulerat hoſtium animos, quemadmodum ipſo nomine prælia ſæpe conficiuntur, & victoribus omnia ſecunda victis autem adverſa creduntur. Hanc occaſionem nactus ſummus noſtræ militiæ dictator, Fortunam arripuit, & quinque ultra flumina trajecit eâ celeritate, ut cum VVaſiam jam obtineret, vix coloni adventum ejus ſenſerint. Itaque totius fere æſtatis moram velocitate & hic & in

in obsidione pensavit. Ostenditque se & cunctatione & velocitate hostem vincere & decipere posse. Ostendit sibi animum nunquam defuisse, qui ipso illo tempore, quo gravis & maturus his tractibus autumnus agros infestat, maria & aquas inflat, fœda pluviis tempestas ingruit, venti debacchantur & cum aëre colluctantur, viscera sæpe ipsius telluris frigore constringuntur, denique cum cœli injuriis veluti pugnandum est, illam urbem tentare, quæ & situ & munimentis hactenus invicta credebatur. Quis autem confertam nostram aciem & militiæ robur, disciplinam atque ordinem militarem non obstupuit qui vidit? Quænam equidem major fuerit an Imperatoris auctoritas, an obsequii in militibus gloria dubium est. Tuum fuit

hoc

hoc imperium, Frederice Henrice, victis parcere, occurſare colonorum fortunæ, intercedere caſibus, rapinas prohibere. Magni animi indicium neque ſecundis inſoleſcere, neque adverſis frangi. Victoriam autem cum clementiâ temperare atque humanitate tibi ſemper proprium fuit. Gloriam bellicam is multum deminuit, qui cum parcere poſſit, crudelis eſt: ſæpe ſævitia fortunæ indulgentiam irritavit, clementia fovit, amorem ad totum humanum genus extendere, etiam hoſtibus bene velle, divinum ego ſemper judicavi. Tu itaque, invictiſſime Imperator, ſolo vultu diſſolutum militem cohibuiſti, docuiſti tuo exemplo diſciplinam non tantum contra hoſtes verum etiam pro hoſtibus repertam eſſe. Ubi oculi tui ſcintillabant, loquebaris etſi nihil loquere-

quereris. Illorum majeſtas ignavo cuique ac timido horrorem & venerationem incutiebat, fortibus vero confidentiam augebat. Pauci vultum nivea aſperſum canicie, nemo verba tua præcipitemque facundiam ſuſtinuit. Liceat mihi verbis veſtris, quibus ad accendendam militum virtutem uſus, in his quoque noſtris caſtris, ô Princeps caſtrorum uti: Si unquam ego de veſtrâ virtute dubitaſſem, milites an commilitones mei, nunquam tot flumina trajeciſſem, & in hoſtico ſolo periculoſiſſimo loco caſtra poſuiſſem. Sed vos iidem fere eſtis, quibus ego meos ſi non veſtros triumphos debeo. teſtis Grolla primum laboris noſtri rudimentum, teſtis Sylva Ducis, ubi integras paludes exiccaſtis, oſtia fluminum diligentia veſtrâ clauſiſtis. Obſidio-

nes

nes quoque veſtras Trajecti ad Moſam, Bredæ, arcis Gennepanæ & nuperrime Saſſenſis totus orbis cum ſtupore admiratur. Nunc vero in hoſtium vitalia atque viſcera irrupimus, quibus affectis languor & certa pernicies ad omnia membra derivatur, concuſſis autem & fractis cætera trahuntur: aliud eſt hoſtium vires debilitare, aliud obterere & conculcare. in hâc unâ urbe labefactari integrarum provinciarum fidem. vicinum calamitatis exemplum ad terrorem & turbanda conſilia valere, quæ votis hodieque diſparibus ſcinduntur. neque numerum militum, neque opes tot ac tam variis bellis attritas hoſti ſuppetere. Illis deficientibus nervos Reip. diſſolvi. Qui induere virtutem non poteſt, labori & ſudori incumbere, exauctoretur, arma exuat. Pul-

verem

verem modo attollite, cespitem eruite, pro milite ipsa terra pugnatura est. Se quoque laborum omnium ac periculorum socium fore. Nunquam magis exarsit bellica pubes, omnemque sudorem absterſit mascula Ducis Oratio. Itaque miles & mixtim rustica juventus noctes atque dies operibus incumbere, vallos erigere, obliquos accessus properare, exteriora munimenta superare, suggestus tormentorum statuere, denique nihil omittere, quod ad tantæ urbis obsidionem momentum aliquod & pondus afferre posset. Cooperari utique manus divina videbatur, vel ipsa terra è gremio suo tantas subito moles eructare Accedebat aëris favor & clementia incredibilis, nulli aquarum imbres effusi, ventorum indignantium procellæ cohibitæ, nunquam nubibus suis

horridum & obtectum cœlum pendebat, ſed grata & vernans ut plurimum ſerenitas aërem mulcebat, ita ut ſtata ſua tempora autumnus mutaſſe videretur. Deo nimirum immortali placuit cuncta contra leges naturæ agere, & non ſecus atque olim ſolem ſtitit in Iſraëlitico populo, ita totam nunc anni tempeſtatem veluti ſiſtere. Illius tantum ſupercilio fœtæ nubes laxantur, ſicci vapores repercutiuntur & ventorum flabra movent, exultant trepidantque maria, turgeſcunt flumina, neque aquarum vortices abſorbere poſſunt, contra ejuſdem nutu nubes diſſipantur atque in ordinem rediguntur, venti ſpiracula ponunt, maria ſedantur, flumina ſubſidunt. Nulla amplius liberandæ urbis ſpes hoſti erat niſi in ſtatis tempeſtatibus. Sed cuncta contraria illorum votis

votis ceſſere. Ipſa illa continua ſerenitas nubem animorum metu atque mœſtitia coopertam hoſti adduxit. nullæ ſuppetiæ in propinquo, quæ ſepem caſtrorum frangerent, & quomodo munimenta invaderent, qui ægre ſuis ſe continebant munimentis? Ultimum itaque illis ſupererat neceſſitatis telum deſperatio, arma imbellium querelæ & lachrymæ paſſim volvebantur. Quibus victi ante victoriam. Conſilia turbida, & prærupta. Sicuti nautæ continuo ſentinam movent, ubi immiſſis aquis merguntur laceræ puppes, ita fracta Reſp. fruſtra renitentibus gubernatoribus fũditus peribat, dum huc atque illuc agitabatur. Niſi quod Hiſpanus, ut mos gentis, præfracta ambitione quæ ſibi adverſa minus æſtimant, & dum pereunt, ſe perire vel ignorant,

vel insigni fatuitate dissimulant. Itaque milites urgebant, impellebant, ne nunc pericula declinarent, sed naturę vim generosã exererent. Utendum confidentia certa pro victoria. Si hostium temeritati ardorem suum opponerẽt, facile superiores fore. hostem ligone & cespite vincere, non armis : ubi conserta manu agendum, pugna ut plurimum inferiorem esse. Non est ille victor, qui ignaviæ quibusdam latibulis se tegit, sed qui justo audet decernere prælio. Modicam quidem militum manum adesse, sed virtute numero hostium parem. Hæc & similia non pronis auribus à milite accipiebantur, quippe fortitudinem nostrorum ubi pugnandum, industriam ubi fodiendum, non ignorabant. Quin & iis ad solum terrorem sufficiebat Batavorum nomen, qui non

non contenti domeſticis victoriis ſolem orientem atque occidentem fatigarent, & Gangis fabuloſi amnis divitias hoſti ereptas in Rheni vel Moſæ gremium effunderent. Addebant, non verbis ad ambitionem compoſitis, ſed animis præſentibus & viribus opus eſſe: fruſtraneum eſſe invitam fortunam cogere, & ab occipite calvitiem trahere: viam oſtenderent, qua ulla ſpes aditus in hoſtium caſtra eſſet: neque enim montium cumulos tranſiliri poſſe. Sacri interim Ordines turbabantur. Proceres hærebant, diſſidia conſilia appellabantur: fluxa ducum autoritas; quibus omnia adverſa inconſulta plebes imputabat. Neque apud multitudinem multum valebat autoritas nullis viribus nixa. Nonnulli indignabantur, quibus ad pacem animus inclinabat,

nabat, *Hiſpanorum* ambitione incendia civilium bellorum ali, non extingui. Integras provincias ruina involvi, neque pacis remedium audiri. Gemere agros toties ſanguine decolores. Oceanum toties ſcuta & homines volvere, urbes civibus viduatas, in cineres municipia redacta, commerciorum vaſtitiem eſſe, opes potentiſſimi Regis exhauſtas, reliquas flagellari: contra, apud Batavos cuncta florere, ipſas urbes ſe non capere, ſed quotidie limitibus ſuis extendi, pacem illos habere in mediis belli fluctibus, bellum cum lætitia extra proprios fines gerere, divitias veluti totius Europæ ad illud centrum confluere, claſſes per totum terrarum orbem dimitti, agros & vicos lætari, ruſticorum opes etiam nobilibus invidendas eſſe, faſtos illorum continuis

triumph-

triumfis turgidos esse. Extremę itaque dementiæ esse, pericula non declinare, ubi nullum eorum esset remedium. Pacis quascunque conditiones melius accipere, quam sub jugum mitti. non succedere, sed concurrere infortunia, dum ab una parte Gallus immineret, ab altera Batavus viscera illorum conculcaret. difficile esse in lubrico & prępcipiti diu consistere, cum undique quis impellitur. Alii aliter loquebantur, prout cujusque inclinatio vel judicium ferebat. Atque ita ut Philippus olim de Athenięnsibus dixit, non tam armis quam verbis hostes pugnabant. Nos autem factis intenti inania verborum contemnebamus. Illi ad exitium suum loquendo festinabant, nos vero tacēdo ad triumphū properabamus. Cunctis & singulis par erat Auriacus, novus hujus sæculi

culi Archimedes : ille oculo & mente, miles manibus laborabat, *ille* insomnes noctes continuasque fere vigilias agebat, cum tenebris diurnas occupationes conjungebat, validus tamen corporis & ingenii, quæ duo continuis ut plurimum vigiliis debilitantur, atque hebescunt. Cuncta Principi huic nostro contraria divinus concessit favor. In mediis laboribus alacer, vegetus, adversa corporis vel non sentiebat, vel admirando ardore superabat. Quis accessere Brederodii Comitisque Gulielmi partitæ curæ. Qui suis quisque stationibus, alacritate atque virtute militem urgebant, ut ingruentem autumnum velocitate sua anteverterent. Qui uno eodemque fere impetu exteriora fere omnia cepere munimenta. nisi quod castellum Spinolæ olim nomini

conse-

conſecratum diutino tempore fortunam noſtram ſtiterit, ſive quod illius manes, uti vulgo creditum, vindictam adhuc ſui exererent, ſive quod ipſum Spinolæ nomen militem ad virtutem cogeret. Inopportunus is locus ſtationi noſtrarum navium erat, atque ulteriora in urbem tentare impediebat. Pugnatum itaque diu acriterque, donec tandem arcis præfectus, plenus animi, ſed vi noſtrorum victus munimentum tradidit, cadaverum veluti publicum ſepulchrum. Neque infimam hic ſtragem noſtri tulere. Paſſim aggeres mortuorum pleni, & ſemiſepulta cadavera etiam poſt mortem ſui vindictam intentare videbantur. Interea vero Heninius impiger militiæ & Regi ſuo devotus, ſuppetiarum fiducia erectus, quæ fruſtra expectabantur, dum noſtri ipſum

acclive opus prope urbem tentant, non ſemel militem propulſavit, & munimentis ſuis ipſam virtutem junxit, ſine qua nequicquam muri & mœnia conſervantur. Spiritum ſuum ſe Regi debere & ſacramento militari, non ſemel effatus. Quę eo luculentius dicimus, quia & fidem in hoſtibus probamus atque virtutem. Et miles hoſticus tegere cadavere locũ quam deſerere paratus erat, eo magis quod ille hoſtis loco haberetur, qui ſtationem relinqueret. Hic quoque acriter aliquoties dimicatum. Sed noſtri cum veluti in furorem bellicum adigerentur, & vires fere humanas excederent inter continuas fiſtularum exploſiones, tormentorum tonitrua, granatarum furorem, ſuperiores evadunt. Ita vineæ cœptæ, & quanvis hoſtilis impetus columellas quantum

tum poterat dejiceret, & convelleret, Brederodii tamen ingens ſpiritus in ſtatione ſua in conſpectu hoſtium eaſdem traduxit. Cuniculis dein actis & doliis incendiario pulvere plenis in ſecuturā irruptionem deſtinatis, nihil aliud quam vaſtus vallorum hiatus, atque urbi imminens exitium expectabatur. Acceſſere continui tormentorum fragores, ignitarumque pilarum incredibilis violentia, quibus tecta lacerabantur, domus ex imis convellebantur ſedibus, trabes & muri per aërem volitabant, aër ubique incenſus, & mixto fumo horridus, ubique mortis ſpecies & imago etiam confidentiſſimo cuique metum inducebat. Verum noſtris intra ipſa mænium viſcera jam graſſantibus, Heninius tamen urbis Præfectus tanti loci tutela digniſſimus,

mus, pertinacia quadam ipſi neceſſitati, qua nemo major eſt, cedere noluit. Verumenimvero, ubi Auriacus in ſtatione ſua, quatuor horarum ſpatio foſſam mœnibus vicinam latitudine pedes centum & ſexaginta exporrectam, virgultis obduxiſſet, attoniti omnium animi cecidere, cum certa jam & ultima urgerent. Incredibile dictu tantum aquarum tam exiguo temporis intervallo obſeptum fuiſſe, adeo quidem ut divino numine aqua in terram mutata videretur. Hiſtorias veteres & novas volventibus nullum ſimile occurrit exemplum. Et quamvis cunctæ noſtræ obſidiones totidem ſint miracula, hoc tamen prodigiũ omne miraculum excedit. Quid nobis Iuli Cęſar celeritate veſtra oculos præſtringis? tardus fuiſti præ noſtro Imperatore. Quid Alexandrum

lexandrum veſtrum prædicatis Græculi? facile fuit imbelles & ſervituti ſuæ aſſuetas gentes devincere. Sed in ipſo fortiſſimi hoſtis aſpectu loco confragoſo id latitudinis foſſam tranſilire nullis unquam cognitum gentibus fuit. Neque vero hoc famæ damus, Auditores, ſed ex ipſis admodum Proceribus, qui huic expeditioni interfuere, accepimus. Teſtem habemus nobilitate atque artium humanarũ cultu Illuſtrem virum, VVimmenumi Dominum, cujus in ipſa florida juventa conſiliorũ quædem maturitas, atque ingenium magnis rebus æquale meruerat, ut inter reliquos ex fœderatis Proceribus eligeretur, qui expeditionis tantæ Principi Auriaco comes eſſet. Ita tandẽ urbs munitiſſima, fractis diſſipatiſq; viribus, fidei noſtræ ſe commiſit, conditioneſque æquiſſimas acce-

accepit, quas meruerat virtus ejus & singularis fortitudo, Comitisque Henrici Nassovii, militaribus artibus inclyti, dignissimum imperium accepit. Secutaque mox repentina multorū munimentorum deditio. Merito itaque triumfamus, Auditores, lætum hunc rerum finem nobis intra menstruum spatium contigisse, quem omnis posteritas & futura sæcula admirabuntur. triumfat quoque, triumfat jam mea hæc exilis oratio, saliunt pedes, oculi micant, ebullit hic sanguis & extra sua vasa prorūpit, cor continuo spiritu palpitat, neque se amplius capit. Supplicationibus & festivis ignibus indictus hesternus fuit dies, nos nostro igne, qui corporis hujus claustris continetur, jam ardemus. Ipse admodū aër continuo campanarum sonitu lætabatur, & crassiores vapores diluebat, erepe-